48 H ho 6 J Vauls

V. CL.

D. Ioannis Rainoldj,

OLIM GRÆCÆ LINGVÆ PRÆLECTORIS IN COLLEGIO CORPORIS CHRISTI *apud Oxonienses.*

Orationes Duodecim; cum alijs quibusdam opusculis.

ADIECTA EST

Funebris in obitu

à M. ISAA

Orate

6 d.
1 — 5

Excudeba

S

V. Cr.

D. Ioannis Rainolaj.

OLIM GRÆCÆ LINGVÆ PRÆLECTORIS IN COLLEGIO

Orationes [illegible] cum aliis [illegible]

[illegible]

Excudeba[illegible]

S[illegible]

IOANNES RAINOLDVS ACADEMICIS OXONIENSIBVS S. P. D.

VIctus amore tui, cognato sanguine victus; *Nam etsi non possum affirmare, fratres, me vestrâ causâ facere, quod* [a] Latinus *ait se feciſſe* Turni, vincla omnia rupi, Promiſſam eripui genero, arma impia ſumpſi: *tamen quæ ratio mouit* Latinum, *vt* Laviniam *ſuam*, Æneæ *promiſſam*, Turno *deſtinaret, contra fas & æquum; ea me commouit, vt has Orationes, deſtinatas tenebris, in lucem emitterem, præter officij rationem forſitan, profectò præter inſtituti. Eodem enim animo, ſum, quo tum eram, quum in præfatione Theſium mearum cauſam vobis reddidi cur amicis rogantibus vt eas excudi atq; in publicum euulgari paterer non obſecundaſſem. Verùm cùm frequens conſulendi fontes ipſos ſcriptorum, & diuino-*

[a] Virg. Æneid. lib. 12.

rum, & humanorum, in controuersiis fidei tractandis, necessitas occasionem excitandi vestri ad studia linguarum Hebreæ, & Græcæ, nuper mihi dederit; idq; non aures præterfluxisse vestras, sed animis insedisse & infixum penitus esse perspexerim: faciendum putaui, vt, licèt ijsdem monitis iterandis sæpius interpralegendum molestius esse nollem, tamen aliquâ renouarem desiderij mei significationem, & cohortationis eius memoriam vobis refricarem. Hoc autem nullâ viâ poteram facilius, quàm si, quales b Cicero admonitores misit ad Varronem, *Academicarum quæstionum libros: tales (talesne? vtinam quidem, veruntamen & tale esse potest, quod non est simile, & simile ex parte quod in multis dissimile; tales igitur, vt parua cum magnis conferam) ad vos mitterem. Itaque has duas Orationes, quæ cæteris minùs inuitè lucem conspectumq; hominum laturæ mihi videbantur, ex illis, eximendas, & in vestro nomine diuulgandas censui. Neque in eo magis extimui ne quisquam nostratium vitio mihi verteret, quòd duas emittam solas è viginti: quàm* Paulus Manutius *suorum popularium censuram est veritus quòd è decem Libris Antiquitatum Roma-*

b Ep. ad fab. lib. 9. ep. 8.

maiorum, c vnum tantummodò prelio commisit. Etenim, nec illi Hippolytus *Cardinalis, cuius id in gratiam fecit, fuit charior, quàm vos estis mihi: nec* Angli *minus candidè studia suorum interpretari & accipere solent, quàm* Itali. *Genus fortasse dictionis meæ incurret in maiorem reprehensionem; qui è poëtis alijsque scriptoribus tam multa decerpserim, è quibus tam pauca orationibus suis intexuerint oratores Græci Romanique, principes eloquentiæ. Sed animadvertatur velim, auditores, quorum pro discrimine variari debet ratio dicendi, & quidem in hoc ipso opportune potest, alius illis generis ac mihi contigisse. Namque in scholâ ad doctos & literatos, ea ex historijs, fabulis, carminibus, autorum dictis, apophthegmatis, similibusq; adhibenda, quæ ad Senatum aut populum non decerent, d* Vives, *peritissimus earum quas tractauit artium Magister, prudenter obseruauit. Idque* Ciceronis *adeò exemplo manifestum fiet, si, quæ in foro dixit aut Curia cum disputationibus quas in* Tuscalano *habuit, comparemus. Quanquam si plusculum aut affectui meo, aut nostrorum studijs adolescentulorum in eo indulserim, quàm aut* Viues *præcepto de*

c Librum de legibus Romanis.

d De rat. dicend. l. ca. dedecore.

dicendi ratione, aut exemplo Ciceronis *in* Tusculanis *probari possit: excusabitis, scio, qui vester est in me amor; & illi, quæ se efferat in adolescente, optat*

e Cicero de orat. lib. 2.

e Antonius, *vt aliquid sit quod amputet sicut in vitibus sarmenta quæ luxuriant, fœcunditati adscribetis. Equidem, eo ipso amore vestro fretus, feci, etiam audaciùs quàm ille, cuius exemplum in admonitoribus mittendis sum sequutus.*

f Epist. ad fam. lib. 9. epist. 8.

Nam f Cicero *suis libris se mandâsse dicit, vt* Varronem *rogarent munus quod ostenderat, non vt flagitarent. Ego verò meis orationibus præcepi, vt vos non flagitent solùm, quod interpretatum cupio, sed etiam per omnes sanctitates obsecrent, instent, vrgeant, ne denegetis. In quo si voluntas propensioq; vestra, quos Deus facultatibus omnibus instruxit, importunitati meæ manus dederit: audeo polliceri futurum, vt maiorem è Græcis literis voluptatem ac vtilitatem percipiatis, quàm* g Cato, *qui senex eas didicit; & cum* h Hieronymo, *post multò leuiorem laborem in Hebræis, quam ei exantlare necesse fuit, dicatis.* Gratias ago Domino, quòd de amaro semine literarum dulces fructus carpo.

g Cicero de senect.

h Epist. 4. ad Rust. mon

Valete, è Colleg. Corp. Christi. Feb. 2.

ORATIO POST VACATIONEM NATALITIAM, 1576.

EPAMINONDAM *Thebanum*, qui Leuctricâ victoria nobilitauit patriam & *Græciam* dominatu *Lacedæmoniorum* liberauit, triſtem ſollicitumq; circumiuiſſe vrbem refert a *Plutarchus*, quam ciuitas feſtum diem agens comeſſationibus & voluptatibus indulgeret. Præclarum verò factum, & prudente viro ac temperante dignum! quod declarat illum adeò conſtanti & confirmato animo virtutis viam ingreſſum eſſe, vt adduci non poſſet quin eâdem pergeret, quamuis ſine comite: immò tanto magis ab illecebris libidinum ſibi temperaret, quanto & impuniùs. Ita res duæ, quæ ſtudium continentiæ reſtinguunt in alijs, in illo accendebant, multitudo peccantium, & licentia peccandi. Vellem hoc nobis, auditores ornatiſſimi, in rerum non

a *In Apophthegm. Reg. & Imperat.*

dissimili statu eueniret: vt, quo plurium animos contagio nequitiæ & optimarum artium neglectus infecit, eò vehementiùs ipsi virtutis atque doctrinæ tùm simus studiosi, tùm semper esse contendamus. Nec verò nos officio perfunctos arbitremur, si earum alteram sequamur sine altera, nè si assequamur quidem: cùm virtus sine doctrina, etsi lætos ferat fructus vbertesque, minùs tamen amplos quã arbores in hoc horto fatæ ferre debent; doctrina sine virtute similis sit [b] cantharidũ quibus ademptæ alæ, corporum aspectu non inelegantium sed letalium perceptu, & succi venenati. In [c] historiæ Romanæ monimentis proditur, *Caium Curionem*, qui tribunus plebis summas ciuilis belli inter *Cæsarem* & *Pompeium* excitauit, fuisse *hominem ingeniosissimè nequam, & facundum malo publico. Ingeniosissimum*, sed *nequam; facundum*, sed *malo publico*. Quanto meliorem ciuem *Curionem* habuisset patria, tardissimum, quàm ingeniosissimum, modò minùs nequam; indisertum quàm facundum, modò bono publico. Quare non solùm inscitiam & ignorantiam, sed etiam malitiam & improbitatem

b *Plin. hist. Nat. l. 11. c. 35. & l. 29. cap. 4*

c *Velleius Paterc. l. 2.*

probitatem è noſtris animis exterminemus: vt tales euadamus, qualis à d *Catone* definitus eſt *Orator*, *vir bonus*, *dicendi peritus*, & quidem ante *bonus*, quam *dicendi peritus*, quia maior cura virtutis quàm doctrinæ ſuſcipienda eſt. Sed *Epaminondas* rogatus ab amico quid ita ſolus triſtis circumiret vrbem: *Vt vobis*, inquit, *omnibus inebriari & otiari liceat*. Noſter autem labor & ſolicitudo id agat & contendat, vt cunctis potiùs ſobrijs induſtrijſq; eſſe libeat. Suas enim quiſq; Thebas, ſuam vrbem, quam ab inimicis tueri debeat, habet intùs: ne exiſtimemus eam alienis cuiuſquam excubijs ab inſidijs hoſtium ſecuram eſſe poſſe. Quare non eſt ſatis paucos eſſe probos atq; ſtudioſos, vt multis prauitatem & deſidiam ſectari vacet. Optandum, innitendum, vt omnes in eodé curriculo virtutis induſtriæq; ſudent, ne multorum languor, cæterorum ſtudia debilitet, ac infringat. Quanquam ſi multis inertiam & nequitiam colere libido eſt: eò magis probos atq; ſtudioſos eſſe paucos opus eſt. Nihil difficile amori & diligentiæ: magnum tamen opus omninò & arduum ad quod vos hortor, auditores. Quotus enim

d *Fab. inſtit. Orat. l. 12. cap. 1.*

quisq; similis esse potest *Epaminondæ*, qui malit solus sapere, quàm cum multis insanire; militiam sub dio meditari asperam, quam delicijs Veneris domi oblectari? Atq; vtinam hoc contingeret inter solos *Thebanos*: quorum stupiditas *ingenij Bœotici* prouerbio celebrata est. Sed apud *Athenienses*, homines acutissimos, in artium officina, quæ leges, humanitatem eloquentiam excoluit, idem contigisse, magis admirandum an dolendum sit nescio, sed contigisse [e] legimus. Nam cùm oraculo editum accepissent, vnum esse virum in ciuitate qui cunctorum sententias improbaret, populusq; stomachans quæreret quisnam esset, *Phocion se illum esse* est professus; *soli enim sibi nihil placere eorum quæ vulgus faceret aut diceret.* Erat ille vulgus, quà rerum licentia, quà lasciuia morum, consilia quærens blanda, respuens salutaria, variorum scelerum maculis notatissimus: quo minus mirum videri debet, si *Phocioni*, viro bono, neq; dicta eius placerent, neq; facta. Veruntamen quàm crebri fuêre semper *Athenienses*? quàm rari *Phociones*? Vbiq; sunt *Thebani*: sed estnè vsquam *Epaminondas*?

[e] *Plut. Apoth. Reg. & Imp.*

Omne

Omne tempus feret Clodios, *Catones non omne feret*, ait[f] *Seneca*. Atq; vt censorius Philosophus, sic [g] Poëta, castigans facinora flagitiaq; sui temporis,

——*Catilinam*, inquit,
Quocunq; in populo videas, quocunq; sub axe,
Sednec Brutus, *erit*, Bruti *nec auunculus vsquam.*

[f] *Epist.98.*
[g] *Iuuenal. Satyr.14.*

Cuius quasi morbi dum causas exquiro, quò ad medicinam ei faciendam accedam exploratiùs, date quæso veniam, vobis non invtilem, mihi non ingratum, insistendi paululùm, remquè ipsam altiùs ab initijs repetendi. Quam enim inchoaui dissertationem de forma disputandi, tribus illis verbis, *Peritè, Modestè, Sincerè*, propositā, eam, etiamsi liceret alioqui, tamen nunc pertexere parùm esset commodum: præsertim cùm vestræ disputationes frigore magis quàm feruore peccent, neq; tam frænis quàm stimulis & calcaribus segere videantur. *Seneca* ad *Neronem* scripsit de Clementia: verùm ad *Neronem*, Principem crudelem. Cicero ad fratrem de moderatione, ad fratrem scilicet, hominem iracundum.

Apud

Apud hunc si *Cicero* vituperasset lenitudinem, apud illum *Seneca* seueritatem laudasset: non aquam ad mitigandas, sed oleum ad augendas flammas, affudissent. Quocirca vt idem[h] *Cicero* prouinciam, quam Proconsul administrauit, enectam propemodum fame, & exhaustam, recreauit, ac restituit: ita petam potius à nostris Proconsulibus, quibus disputandi Prouincia procuranda est, vt languescentem eam foueant, quàm ipse mittam sanguinem corporis semiviui; *Ephorumq;* tractem tanquam *Theopompum*; & adhorter ne nimium, quum offendatur quia parum; id est, à pertinacia eos deterream, in quibus acrimoniam industriamq; desidero. Neq; tamen negârim esse posse præfractos, qui sint indiligentes: vti peruersissimi ferè solent esse qui non sunt peritissimi. Cæterùm in præsenti, si quid ego iudico, ea est corporis nostri valetudo, vt humores, qui restinguunt virtutis studium ac doctrinæ, quàm qui disputandi ardorem refrigerant, expurgare præstet. Hoc igitur quod differri potest commodiùs, opportuniori tempori reseruemus. Illud, quod maturius curationem

h *Epist. ad Att. lib. 6, Ep. 1.*

onem postulat, quibus causis emergat quibus egeat remedijs, modò videamus. De quo antequam dicere exordiar, facit, meáne dicam intelicitas, an iniquitas aliorum, vt quia nonnullorum animos intelligo exulceratos esse quibusdam à me priùs ex hoc loco dictis, quamuis & aliorsum & aliter acceptis ac ego voluerim; rogandi mihi sitis, ne deinceps talibus suspicionibus & calumnijs aditum patefieri apud vos sinatis. *Nihil esse quin malè narrando possit deprauari*, vetus est verbum: &, quanquam apud h Comicum in facto minus recto tamen de rectè factis verè vsurpatum Illud de rectè dictis minus forsan vetus est, sed non minus verum, *nihil esse, quin malè interpretando possit deprauari*. Nam quid tandem aliud commouit i *Aristonem*, vt diceret, *nocere audientibus philosophos ijs, qui benè dicta malè interpretarentur?* Quamobrem quo maiore cupiditate flagro vestros conatus in optimarum artium studijs promouendi: eò vehementiùs etiam atque etiam à vobis peto ac quæso, ne meorum dictorum sitis ingenioſi nimiùm interpretes: & in res erectam, in homines emitti orationem

h *Terent. in Phorm.*

i *Cicero de nat. Deor. lib. 3.*

onem ſuſpicemini. Peracerbum enim mihi ſanè accidit, quod video nocere, dum perperam accipiuntur, vtinam ea ſola quæ hoc dicuntur loco: vſque adeò, vt conſilia pro conuitijs habeantur, & pharmaca metuantur inſtar venenorum, manuſq; medicorum vt hoſtium reformidentur, maiore dolore noſtro, veſtro incommodo non minore. Profectò, non id meâ culpâ contingit quòd, quæ ad omnium vtilitatem loquor, accipiuntur ad certorum contumeliam: quaſi non exhorter, ſed inſecter, non vt beneuolus, ſed inimicus; non auditores, ſed aduerſarios; atque adeò accuſem, vt *Verrem Marcus Cicero*, non admoneam, vt [k] *Quintum* fratrem. In quo tametſi reprehendit iracundiam, & acerbitatem, tamen, nec vt offenderet reprehendit, ſed vt ſanaret, nec frater id attribuit odio, ſed amori. Et ego, ſi quid, fratres, in vobis requiro, id, vt corrigamini, non vt vexemini, facio; nec obijci cuiquam à quoquam odiosè, ſed à cunctis accipi fraternè oportuit monitiones meas.

k Ep ad Q. Fratrem Lib. 1. Ep. 1.

Quare ne tales maculæ & labes poſthac aſperganturei candori, quem debetis

debetis quidem præstare cunctis, sed illis maximè, à quibus informamini, iterum atque iterum, si patiamini, rogo, vt æquis & animis & auribus adsitis: nec quod *Theodorus* olim querebatur, sententias finistrâ accipiatis manu, quas ego dextrâ porrigo. Nihil tradetur, quod non ad persequenda virtutis & doctrinæ studia pertineat: quod non & mihi dictu, & vobis auditu, & omnibus obseruatu commodissimum sit futurum. Tria sunt ergo, quibus, ne constanter pergamus in officio, mihi potissimùm videmur destineri. Nam, quâ ingenij procliuitate ferimur à labore ad libidinem, commouemur facilè hominum exemplis; si non exemplis, at consilijs; si non consilijs, at iniurijs, contumelijs, vexationibus, quibus quasi vepribus 1 angusta via est obsepta; sed his omnibus commouemur, vt multorum similes malimus esse quàm bonorum, & viam spacioſam quàm angustam ingredi. Mouent igitur exempla, consilia, maleficia. Exempla flectunt; consilia ducunt; maleficia penè trahunt. Exempla, consuetudine; consilia, rationibus; maleficia sensu dolorum, adoriuntur.

1 *Litera Pythagorica.*

Exempla,

Exempla, multorum autoritas & vsus, consilia, blanditiæ familiarum & amor; maleficia, terror acerbitasq; ærumnarum, ad ea expugnanda quæ oppugnant, armat. Quibus vniuersis si fortiter restiterimus, vt nec imitemur peccata multitudinis; nec familiarium sermonibus auscultemus, nec aduersariorum prementium, vexantium, illudentium frangamur factis, consequemur, iuuante Deo, vt optatam cursu contingamus metam, virtutisq; & doctrinæ compotes euadamus. Ac exempla quidem vt à primo ordiar, eò magis studijs impedimentum afferunt, quòd incurrant nobis in sensus turmatim, & multitudine pugnent. Vsq; eo, vt quemadmodum qui cymbam aduerso flumine difficulter remis propellunt, si remittant brachia, rapiuntur statim in præceps prono amne: ita, nisi magno conatu & nisi contra violentum cupiditatum æstum luctemur assiduè, turbæ ceu torrentis impetu auferamur. Nam quod prouerbio Græcis est iactatum; m *vnus vir, nullus vir*, id ad paucos etiam propinquitatis iure extendere solemus, eosque vt *Megarenses* nullo numero ducere: contra,

m Εἷς ἀνὴρ οὐδεὶς ἀνήρ.

contra, de multis honorificentius sen
sire, reuereri, præeuntes sequi. Mul-
os autem malos esse, paucos bonos
ideò manifestum semper iudicatum
st, vt ipsa vocabula *multorum* pro
malis, *paucorum* pro bonis, apud
antiquos vsitata fuerint. Ità cum
multis multum tribuamus, ijq; sint
mali, & mali mala faciant, nec solùm
mala, sed & malè, fit vt eorum exem-
plis retardentur non paucorum stu-
dia, & impediantur. Quapropter si
quis illud à me scisciteur, quod
M. Tullius à Caleno. Quis est iste
sensus tuus, quæ cogitatio, Brutos vt
non probes, Antonios probes? non di-
cam id propterea facere *Calenos*,
quòd *Antony* obsideant, obsidean ut
Bruti, quanquam id quoq; magnum
est: sed quòd plurimi sint *Antony*,
Bruti paucissimi, *Antony* verò volup-
tatem colant, *Bruti* virtutem. Iam
vt illud *Platonis* in mentem reuoce-
mus, *Nunquid ego tale?* ne in repub-
lica *Romana* curiosi, in nostra negli-
gentes fuisse videamur: non permit-
tit spero vester *Brutorum* amor & ap-
probatio, vt illam *M. Tully* querimo-
niam renouem: *Quis est iste sensus ve-*
ster, quæ cogitatio, Brutos vt non pro-
betis,

n *Accium, Lucilium, Ciceronem, Afranium, Non. Marc. de propr. serm.*

o *Phil. 10.*

p *Cicer. de clar. orat.*

betis, Antonios probetis? Tamen vt p Latinæ princeps eloquentiæ narrat mirabundus, quàm multi munus essent professi Oratorum, quàm pauci dignitati monitoris respondissent: ita mihi videor iure posse conqueri, multos profiteri disciplinarum studia, paucos reipsa quod profitentur exequi. Omnino ad Academiam, tanquam ad mercatū literarum confluimus. Vt autem ex illis, qui ad mercatus nundinasque veniunt, quidam emunt, quidam vendunt, quidam spectant otiosi, quidam in caupônis sedent potantes, quidam occupantur in foro aleatorio, gladiatorio, saltatorio; non omnes reuertuntur domum ditiores, tenuiores multi: similiter nostrum, qui huc aggreganur, quidam discunt, quidam docent, quidam desides obambulant, quidam ventrem magis curant quam mentem, quidam inhonestis ludis sua prodigunt, immò & aliena; non omnes virtutum & doctrinarum opibus ornatiores abeunt. Magna fuit olim autoritas *Athenarum*, magnæ & indolis & spei, *Ciceronis* filius, quum illuc mitteretur. At dum iucundis ibi conuictoribus delectatur nimiùm,

&

& immoderatos in epulis sumptus facit, vtiturque consuetudine *Gorgiæ* cuiusdam, hominis, non tam vtilis in declamatione, quod obtendit q ipse, quàm inutilis luxu & compotationibus, vt r pater indicauit: nec eruditum *Ciceronem Athenæ*, sed corrumpunt; nec *Cicero Athenas* exornat, sed dedecorat. Frustrà ad vrbem *Athenarum* itur: frustrà *Cratippus* præceptor adhibetur. Plus obest *Gorgias*, quàm *Cratippus* prodest: nec tam *Athenæ* iuuant, quàm nocent voluptates. Quanquàm beata existimari potest conditio *Ciceronis*: cui etiamsi adfuit corruptor, at ne corrector quidem defuit. Nam & præceptoris, & patris opem sensit. Quòd vtinam nostri *Cicerones*, adolescentuli insignis indolis & spei, quum accedunt ad Academiam, à *Gorgijs* solùm, non item *Tullijs*, & *Cratippis*, id est, à sodalibus, non parentibus, & magistris, corrumperentur. Verùm enimuero, vt s ille in *Catilinam*: *Non deest reipublicæ consilium, non autoritas huius ordinis, nos, nos, dico aperte, Consules desumus*: ita, (si liceat, quòd res est, loqui) non deest Academiæ flos ingenuæ iuuentutis, non facultates

q *Cic. Ep. ff. ad fam. lib. 16 Ep. 21.*

r *Plut. in vita Cic.*

s *Cic. in Cat. Orat. 1.*

tes neceſſariæ; nos, nos, dico apertè, qui præſumus, deſumus. Nos, qui parentes debuimus eſſe animorum, qui morum cenſores, qui magiſtri vitæ; nos, qui prælucere cæteris exemplo, pietatis in moribus, in literis induſtriæ; nos, quorum munus eſt culturâ corrigere plantas tenellas, non deprauatiores facere licentiâ: nos, nos, dico apertè, Conſules deſumus. Neque tantùm deſumus omittendo curam, quam adhibere decuit, ſed etiam, quæ facere non decuit, committendo: quippe quorum illi ſint imitatores, vt populus ſolet eſſe principum: vnde fit vt vitia in eos transfundamus quæ ipſi concipimus, & corrumpamus corrupti, nec minùs exemplo quàm peccato noceamus. Veriſſimè enim dictum eſt illud, quod [1] is, quem cenſorium poetam nominaui, in opere, laudando cum exceptione, laudando tamen cecinit.

[1] *Iuuenal. Satyr 14.*

Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica.

Et verò corrumpunt, cuicuimodi hominum eius in qua degimus domus ſint exempla. Quid enim vnquam fuit *C. Verre* nequius? Quid de-

despectius esse debuit? Et tamen eius filius in patris disciplina ita educatus, vt [u] *nihil ipsum vnquam agere videret, quod* laudabiliter *imitari* posset, euasit *alter Verres: Verri, naturâ filius, consuetudine discipulus, voluntate similis.* Corrumpunt igitur exempla domestica quoruncunque, qualiumcunque, etsi improbitate pares sint *Verri*: quanto magis eorum, qui principem locum obtinent? Vt ibidem obseruatur, *Velocius & citius nos corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis Quum subeunt animos authoribus.* Satis habet [x] *Thraso*, si *Pyrrhus stetit post principia, si Hercules seruiuit Omphalæ.* Rectè, an secus, non laborat. Fecerunt *Hercules, Pyrrhus.* Satis ad flagitium *Philolachetis* excusandum esse putat [y] *Tranio*, si possit percontari,

Nunquid aliud fecit, nisi quod faciunt summis nati generibus? E fabulis ista sumis, inquies. Sanè; sed quibus similitudo veritatis effingitur. An verò non in historijs. *Antonius Cleopatræ* fugientis authoritatem, quàm militum pugnantium fortitudinem sequi maluit? Non *Pompeius Syllaturiens*, vt loquitur [z] orator, illud in

ore

ore frequenter habuit: *Sylla potuit: ego non potero?* Non indies circumsonant aures nostræ eorum vocibus, qui cupiditate similis licentiæ similia exempla laudent? *Scius* ausus est: ego non audebo? Cleopatra fugit: ego perstitam? Seruiuit *Hercules*: ego dedignabor? A nobilissimis factum est: nobis non licebit? Neque tamen hæc eo dico, tanquam omnes arbitrer magnis exemplis ad scelera moueri: (quod & abest, & absit ore.) Sed resistunt paucissimi.

——Vnus, & alter,
Forsitan hæc spernant iuuenes.

Qui tandem?

——Quibus arte benignâ,
Et meliore luto finxit præcordia Titan.

Ad meliorem frugem è pessimis exemplis emersit *Themistocles*, emersit *Scipio*. Sed non omnes esse possunt *Scipiones*, & *Themistocles*. Certè quales summi viri ciuitatis plerumque extiterunt, talem ciuitatem esse consueuisse, notatum est à [a] prudentibus, & experientia comprobauit. Licet igitur vnus, & alter, hæc spernant.

At reliquos fugienda patrum vestigia ducunt.

a *Xen. lib. 8. Kup. παιδ. Plat. de Rep. lib. 4. Cic. de Leg. lib. 3.*

Et

Et monſtrata diu veteris trahit orbita culpæ.

Sit *Phocion*, integerrimus apud *Athenienſes*: at, *Phocionis* ciues, quanquam quid ciues dico? *Phocionis* liberi erunt nequiſſimi. Quinimò habent *Phociones* quoque ipſi quod ſibi caueant: ne crebro malorum quibuſcum verſantur commercio labem contrahant, & coinquinentur. Nam vt addit ille,

——dociles imitandis
Turpibus ac prauis omnes ſumus.

Si doctores nanciſcamur, ſumus omnes dociles. Etiam qui bene affecti, qui ſobrij, qui diligentes & modeſti,

——dociles imitandis
Turpibus ac prauis ſunt omnes.

Nemo ſuæ nimium virtuti confidat; labuntur optimi: nemo ingenio; falluntur ſagaciſſimi. Credatur [b] *Senecæ* potiùs, qui grauiter, vti ſolet, differens de fugiendo *Romanæ* turbæ conſortio, *Socrati*, inquit *Catoni & Lælio excutere mentem ſuam diſſimilis multitudo potuiſſe: adeò nemo noſtrum qui maximè concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum tam magno comitatu venientium poteſt. Vnum exemplum, aut luxuriæ, aut auaritiæ,*

[b] *Epiſt. 7.*

ritiæ, multum mali facit. Conuictor delicatus paulatim eneruat & emollit. Vicinus diues cupiditatem irritat. Malignus comes quamuis candido & simplici rubiginem suam affricuit. Quid tu accidere his moribus credis, in quos publicè factus est impetus? necesse est aut imitêris aut oderis. Vtrum autem diuitandum est, ne vel similis malis, fias quia multi sunt; vel inimicus multis, quia dissimiles sunt. Sed ego vos hortabor, paulò secus ac *Seneca*, iuvenes politissimi, vt, si vitare non possitis alterum, quin inimici vobis sint multi, quia dissimiles: tamen vitare studeatis alterum, ne malis efficiamini similes: quia multi sunt. Quod enim *M.* [c] *Tullius* dixit de *Asia*, id de *Asiaticis* aptè dici potest: *non malos nunquam vidisse, sed inter malos continenter vixisse laudandum est.* Proinde, vt concludam quod de exemplis censeo, si anreum est illud [d] iuris ciuilis axiôma, *non tam spectandum esse quid Romæ factum sit, quàm quid fieri debeat*; & *Pythagorico* symbolo monemur *ne per viam populo tritam incedamus* immò *nullâ magis viâ irrepere vitia, quàm publicâ*, rectè scripsit [e] *Plinius* si expendendæ potiùs quàm numerandæ

c Pro Mur.

d L. sed licet D. de offic. Præs.

Διὰ λεωφόρου μὴ βαδιζειν.

e Hist. nat. lib. 36. c. 2.

randæ ſunt ſententiæ, conſuetudiniſque *regula* eſt *Lesbia*, & legibus viuendum denique non exemplis: ſequamur leges, non exempla, niſi legibus exempla conſonent; neque id quod plurimi probant, ſed quod optimi, atque adeò quod probandum eſt, amplectamur; ne effœminemur *Perſarum* mollitiâ, vt *Alexander* magnus; opibuſque *Aſiæ* corrumpamus *Spartam*, inſtar *Lyſandri*; & orientis vitia in Græciam cum *Macedonibus*, cum *Romanis* in *Italiam* & occidentem importemus.

Nocent igitur exempla, ſed exempla non ſola nocent. Cauendum eſt nobis etiam à conſilijs: & quidem multò fortaſſe magis. Nam exempla mala benè animatis adhiberepoſſunt calcar ad virtutem; quemadmodum iuxta flores fragrantiſſimos, ſi quid acriusſeratur, vt cæpe aut allium, ad creandam in illis odoris ſuauitatem conferre perhibetur. Verùm conſilia, quoniam ab amicis dari conſueuêre, itaque ſe inſinuant opinione boni, difficile factu eſt vt non eneruent, labefaciantque optimè cogitata, & induſtrios homines ab inſtituto depellant. Præſertim cum amicos, &

familiares, qui ſuadent, conſuluntque, non modò bonos eſſe perſuaſum habeamus, quippe noſtri ſimiles, qui tales nos præſumimus, vt quiſque ſibi eſt *Suffonus*: ſed etiam, propter amorem quo nos complectuntur, nihil niſi bonum, cum dignitate noſtra aut commodo coniunctum, vel exoptaturos, vel conaturos perſuadere. Vt hîc eâ ſæpe ſit opus cautione, quam *Lucilio* ſuo dat in præceptis [f] *Seneca*: *Surdum te amantiſſimis præſta, bono animo male precantur.* Non omnes ſunt eâ conſtantiâ quâ *Socrates*, vt *Critonem* audiant malè conſulentem, & ei refragentur: complures *Alcibiadis* ſunt ſimiliores, qui malum conſilium cupidè accipiant, &, vbi acceperint, cupidiùs exequantur. Quin & ſunt nonnulli firmiores *Alcibiade*, peruicaces in bono, vbi ſoli ſecum ipſi deliberant: qui tamen, ſuaſoribus ad malum inſtigantibus, labaſcant vno verbo, victi quàm citò, & conſilijs vt cantibus Sirenum capiantur. Regina *Dido*, apud [g] *Virgilium*, quũ primum Vulnus Venus aleret, & cæco caperetur igne: admirandâ ac pluſquam muliebri conſtantiâ obfirmauit animum in eo quod ſuſceperat caſti

[f] *Epiſt.* 31.

[g] *Æneid. l.* 4

castitatis studio. Sensit quidē æstum amoris, vt fœmina,

Agnosco veteris vestigia flammæ;

At eum continuò repressit, vt pudica.

Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras:
Pallentes vmbras Erebi, noctemque profundam:

Quantâ fortitudine (nam in his quoque virtuti ei locus est) quàm certo animo perseuerandi? Quorsum enim pertinet tam ardens exeeratio? *Tellus priùs ima dehiscat: adigat me fulmine ad vmbras.* Non vt flagrantissimum tuendæ pudicitiæ studium ostendat? Nam exitio seipsam deuouet,

Ante pudor quàm te violem, aut tua iura resoluam.

Quid potuit castius *Lucretia*? Mavult se mortuam, & quidem mortis genere longè teterrimo, velabsorptam terra, vel consumptam fulmine, quàm aliqua castimoniæ labes inferatur. Sed ista sunt quæ *Dido* secum constituit. Accedit *Anna*, soror germana, quæ subministrando fomite a-

mori ipſam de propoſiti dimoueat firmitate, vt incendium è ſcintillâ Cupidinis excitetur. Ac operæ pretium eſt notare, quo ſermonis artificio ſuum virus inſtillans tanquam in ſenſus influat ſororis. Quid igitur *Anna* refert?

Anna refert: O luce magis dilecta ſorori: O blanditias peſtilentes! *Luce magis dilectam* appellat, cui lucem pudicitiæ conatur eripere. *Philiſtæ*, latrones *Ægyptij*, dicuntur amplecti vt ſtrangulent. Ergò non immeritò comparauit[a] quidam *orationem blandam laqueo mellito*: delectanti, vt *mellito*; ſed, vt *laqueo*, ſuffocanti. O peſte magis fugienda ſorori: non tam amabilia ſunt verba quibus ſuades, quàm id abominandum, quod perſuadere ſtudes.

a *Diog. Laert. in vita Diog.*

Soláne perpetuâ mœrens carpêre iuuentâ?

Videtíſne quàm peritæ ſint artifices improbæ conſultrices? Singulæ voces, ſingulæ rationes. *Sola, mœrens, carpêre, iuuentâ, perpetuâ?* Quid? *Sola?* Quaſi nulla eſſe poſſet beata ſolitudo, vt loquebatur[b] *Hortenſius* Quum *Dido* tamen contrà, quamdiu ſola, tantiſper optima: eſſe mala cœpit,

b *Cic. in Hortenſio.*

pit, quum desijt esse sola. Non vis eam solam esse, modò bonam? Mauis malam, minùs solam? Solam, pudicam viuere, quæ putas miserum; lugebis serò misera, quum solam impudicam, extinctam conspexeris. Si *Clodius* solus in operto Bonæ Deæ, vt admittat flagitium; cur non *Metellus*, vt colat iustitiam, solus, in exilium; *Cato* solus in carcerem? Vsque adeône solum esse, dirum est? Illa verò ex intimâ subtilitate deprompta, quòd adijcit, *Didonem*, primùm, non pudicam, sed *mœrentem*; quasi casti mœsti sint, libidinosi tantùm læti; funesta lætitia, rident & ringuntur: deinde, non viuere sed *carpi*; quasi boni, qui soli vigent, soli contabescant, carpantur cùm semper vireant mali sibi scelerum conscij carpuntur: porrò, non vitâ, sed *iuuentâ*, quæ pars ætatis suâ naturâ propensior ad vitium, si præceps impellatur, flagitiorum æstum cum faciliùs capit, tùm, ætatis sperans veniam, fouet liberiùs: postremò, non breui sed *perpetuâ*, quasi complecteretur æternitatẽ propè temporis, cùm nihil eâ sit fugacius, vt scitâ similitudine dicatur *flos ætatis*, quòd exiguo tem-

peris momento efflorescat, confestimq; marceat, concidat, exareat. Et tamen audet *Anna* soror, soror *Anna*, quasi firmissimis rationibus rem confeciſſet, vrgere percontando:

Solane perpetuâ mœrens carpere iuuentâ?
Nec dulces natos, Veneris nec præmia nôris?

Etenim, vt *Dido* posted suum crimen coniugij nomine prætexit: ita hoc loco id ipsum à sorore ei liberorum nomine commendatur. Ijque *dulces* appellantur: ac iure; sunt enim. Sed amara dulcitudo, quæ per scelus acquiritur, *Plus aloës quam mellis habet.* Pollicetur *Anna* dulces experietur amaros *Dido*: dulces sensu, amaras exitu. Omnes quadrupedes odore pantherarum, ferarum immanium, c feruntur admodùm delectari, sed absterreri toruitate capitis. Ideò pantheræ, caput occultantes, quum prædam venari volunt, allectas odoris suauitate bestias, vbi propiùs accesserint, corripiunt, & mactant. Patroni voluptatum, vt prædentur homines, pantheras imitantur. At scondunt quod toruum est, quod

c *Plin. hist. nat. l. 8. c. 17.*

quod terret omnes, in voluptatum lenocinijs, turpitudinem; comitem carnificem, conſcientiam; pœnitentiam, quandoq; ſeram, atque pœnam vindicem. Oſtendunt, quod ſuáue eſt, quod delectat, dulcedinem gaudij, ſpeciem lætitiæ, præmia Veneris; quibus allectos, inſtar beſtiarum, imperitos homines inuadunt & dilaniant.

Vocent, ſi velint, præmia, dum adiungant *Veneris*, id eſt præmia, pernicies; præmia, peſtes *Didonis*: nam eiuſmodi ſunt Veneris impudicitiæ præmia. Sed quorſum hæc tam multa de *Didone* & *Annâ*? Quò nempe videatis quàm acutis rationibus, impuriſq; conſilijs, vt olim, ita ſemper, flexibiles & teneri infirmorum animi ad mala ſollicitentur. Quid enim? An putatis deeſſe noſtris temporibus, qui induſtriam mœſtitiæ nomine traducant, pietatem moroſitatis? qui, vt *Anna Didonem*, ſic ipſi quem habent carum, ſi ſtudioſum viderint, aggrediantur eodem modo:

—O luce magis dilecte ſodalis,
Solus perpetuâ mœrens carpêre iuuenta?
Nec dulcem luxum, Veneris nec præmia nôris?

Verùm *Anna*, quod suasit, persuasit *Didoni*. Quid enim est negotij impellere præcipitantem, & ruentem prosternere?

His dictis incensum animum inflammauit amore,
Spemq; dedit dubiæ menti, soluitq; pudorem.

Atqui si quis nostrûm itidem instigetur à sorore, à fratre, à cuiusmodicumq; seu pellicatore, seu pellice, qualis *Anna*, sequatur, non eam *Didonem* quæ nunc est, sed quæ fuit priùs; & animo constanti secum ipse statuat,

Sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras,
Pallentes vmbras Erebi, noctemq; profundam,
Ante Deus quàm te spernam, aut tua iura relinquam.

Quam ad fortitudinem ne destituti exemplo videamini, etsi difficilius est reperire qui resistant, quàm qui cedant: sed tamen opponatis *Didoni*, quæ cessit; *Hippolytum*, qui restitit impuris consilijs. Cuius constantia nobis tantò magis videtur imitanda,

imitanda, quantò acrioribus pluribuſq; machinis, ætate adoleſcens, genere nobilis, conditione regis filius, attentatus eſt. Nam quum [d] *Phædræ* nutrix, eum alumnæ ſuæ conciliare cupiens, à quâ perditè amabatur, rogaſſet vt faueret, ac *beatis mitior rebus veniret.*

[d] *Senec. in Hippolyt.*

Namq; anxiam me (inquit) *cura ſollicitat tui,*
Quòd te ipſe pœnis grauibus infeſtus grauas.

Parumne ſuauiter exorſa eſt, ſuam in ipſum beneuolentiam commemorans? Quanquam id quidem ſine culpâ potuit, niſi aliud egiſſet, aliud ſimulâſſet. Sed ipſius curâ ſe moueri fingit, quum moueatur *Phædræ*: cuius, ex *Hippolyti* incommodo, captat commodum; ſi tamen commodum dicendum eſt, quod ei fuit exitio. Verùm, ad aucupandum *Hippolyti* fauorem, hac arte ſe inſinuat: more hominum, qui, ſuæ cauſæ quum ſeruiunt, tum maximè alienæ ſtudium præ ſe ferunt. Quàm autem eſt ſemper nequitia ſui ſimilis? Vt *Anna*, ita nutrix, & exorditur, & exequitur: illa, *mœrentem carpi Didonem*; iſta, *pœnis grauibus Hippolytum grauari.* Virtutis

mi-

militaris exercitationes, appellat *pœnas*! Erras nutrix. Labores virtutis voluptates sunt, non pœnæ, *Hippolytis*. Vt Vitiositati *Herculem Xenophontium* ab ingrediendâ viâ virtutis hoc argumento dehortanti, à virtute responsum est & demonstratum, opera præclara laboriosa quidē esse verùm multis magnisq, voluptatibus condita. Sed animaduertamus, quid hortetur nutrix, & quibus ratiunculis.

e *De dict & fact. Soc. l. 2.*

Mentem relaxa; motibus festis facem
Attolle; curas Bacchus exoneret graues:
Ætate fruere; mobili cursu fugit.

Matronā sobriam pio mueni præcipientem, an impuram lenam scortatori, audimus? *Annorum memor, mentem relaxa.* Quasi conueniret libido teneris annis, labor non conueniret. Potiùs, annorum memor, contende mentem. Nec verò *ætate* propterea *fruendum* puta, quia *fugit*, imò tantò minùs puta *fruendum*. *Fruantur* opibus diuites, quibus est satis supérq; vel ad luxum: inopes, quibus ad victum & vestitum vix satis est, vtantur. Omnes *ætatis*, temporis, sumus inopes; vtamur, non

fruamur

fruamur. Nutricis *frui*, est abuti. Sed intellexit poëta prudens, *ætatem* ipsam adolescentium, ni præmuniatur antidoto sapientiæ, non exiguam esse peccandi illecebram. Idcirco voluit eos hoc documento præcoli, aduersus istiusmodi flabella libidinum quæ, ipsorum *curam* præ se ferentia, consultura essent, *Ætate fruere, mobili cursu fugit*. Illud verò quod sequitur, perquàm impudens & impudicum.

Tristem iuuentam solue, nunc luxus rape:
Effunde habenas, optimos vitæ dies
Effluere prohibe.

O præclaram magistram morum? *Nunc luxus rape: effunde habenas.* Quid est, quò non progrediantur istæ furiæ, quæ palàm audent suadere *luxum*? vt *Hippolyto* sit respondendum, *Regios luxus protul est impetus fugisse*. Quid autem periculosius, quã quòd *luxum* extenuat nomine *lætitiæ*

Lætitia iuuenem, frons decet tristis senem.

Lætitia iuuenem? Non semper. At aliquando. Verùm esto. Sed quæ *lætitia*? An ea, quam ipsa probare vult *Hippolyto*: animi libidine deliquescentis?

Ep. 23. centis ? Quantò præclariùs [f] *Seneca* Philosophus, quàm ista *Senecæ* poetæ nutrix ? *Discè, mi Lucili, gaudere veris bonis, non vanis voluptatibus. Ex bonâ conscientiâ, ex honestis consilijs, ex rectis actionibus, verum bonum petitur. Cæteræ hilaritates non implent pectus, sed frontem remittunt. Leues sunt, leues : nisi tu fortè iudicas eum gaudere qui ridet. Animus debet esse alacer, & fidens & super omnia erectus. Mihi crede : res scuera est verum gaudium.* Sed alia est *lætitia*, quam nutrix significat. Nam hanc, perpetuam comitem habet *Hippolytus*: quē illa nihilominus vt *tristem* reprehendit; atque adeò, quod maius est, *necantem rectam indolem*. Nam eò pertinet quod sequitur.

——*Exons decet tristis senem.*
Quid te coërces, & necas rectam indolem ?

Quid hoc est ? Qui se coërcet & secat fibras scelerum, is se *coërcet & necat rectam indolem ?* At laudat *Hippolytum*, vtqui habeat *rectam indolem*. O quàm difficilè est insidias cauere, quæ sub amoris specie, dum laudant, lædunt ! *Rectam* esse *indolem* eam affirmat, quam solicitat ne sit recta: atque

que cui ipſa machinatur necem, eam ne *Hyppolytus necet*, contendit. Et quidem quàm feſtiuâ id agit ſuadelâ!

Seges illa magnum fœnus agricolæ dabit.

Quæcunq; lætis tenera luxuriat ſatis.

Arguta ſimilitudo. *Fructuoſa erit ſeges, quæ tenera luxuriat.* Verum. Sed quæ frugibus *luxuriat*, ſpero, non quæ herbis noxijs; quæ tritico, non quæ lolio. At *Hippolyto* ſuadet iſta diſputatrix, vt loliũ nequitiæ in eo *luxuriet*, non triticũ virtutis. Quanto acumine aliud probat, aliud colligit? *Quæcunq; lætis tenera luxuriat ſatis.* *Sata læta*, ſata virtutum: ſata vitiorũ, ſata triſtifica. Seges illa nullũ fœnus agricolæ dabit, quæcunq; prauis tenera luxuriat ſatis. Magna culpa *Minôis*, qui talem hortatricem, nutricem flagitiorũ, laudatricem luxuriæ, ſuæ filiæ, præfecit. Et eſtnè mirandũ, ſi qualis hæra, talis famula; qualis nutrix, talis alumna? Sed pergit porrò.

Ingenia melius recta ſe in laudes ferunt,
Si nobilem animum vegeta libertas alit.

Dulce nomen *libertatis*, ſed inſidioſum. Cuius in herbâ deliteſcens anguis quã periculoſus ſit adoleſcentulis, docent ſodales illi *Tarquiniorum* adoleſ-

g *Liu. lib. 2.* adoleſcentium *Romæ*: g qui, *Tarquinio* ciecto, veram æquato iure omnium libertatem in ſuam vertiſſe ſeruitutem rati, priſtinam licentiam, libertatis ſpecie fucatam, affectabant. Ac nutrix *Hippolytum*, horum fortaſſis ex ingenio æſtimans, ad licentiam ſimilem, mentione *vegetæ libertatis*, pellicit. Sed quia non incidit in rerum imperitum (quales eos eſſe, quos hic ineſcat error, h animaduerſum eſt) neq; hac fraude magis quàm cæteris adoleſcentem capit: ad poſtremam confugit machinam, conuicia, & in contumelias verborum erumpit.

h *Plutarch. oꝛpuſc. de audit.*

Truculentus, & ſilueſter, & vitæ inſcius
Triſtem iuuentam, Venere deſertâ, colis.

Truculentus & ſylueſter, & vitæ inſcius Hippolytus, qui *iuuentam colit triſtem*, atq; caſtam. Manſueta; & vrbana, & perita vitæ *Phædra*, quæ diſſolutiorem amat iuuentam, ac minùs ſeueram. Quid igitur? An ad ſolum *Hippolytum* ſupplantandum hæc à nutrice *Phædræ* dicta ſunt? Vtinam fuiſſent? Verùm à ſimilibus *Veneris* nutricijs ad irretiendos *Palladis* alumnos

lumnos quotidiè dictitantur. Reprehendat *Herennius* ineffrænatam petulantiam: i *pertristis quidem patruus censor, magister*, audiet. Virtuti Vitiositas exprobrat *viam asperam* apud k *Xenophontem*: suam vt suauissimum *Herculi* commendat. Vitæ est insciius, qui vitiorum insciius nescit seruire scenæ. Sapiens est qui didicit *Epicuri* sapientiam: *insanientem sapientiam*, quo modo nuncupat l *Horatius*, luuenta statuitur esse tempus hilaritatis, labores vocantur pœnæ; luxuria lætitiæ insignitur nomine; pudicitia, mœroris, temperantia, tristitiæ; austeritatis, sobrietas; licentia libertatis; modesti, sinceri, abhorrentes à vitijs, truculenti & syluestres & vitæ insciij appellantur. Quibus vniuersis cùm tentâsset nutrix animum *Hippolyti*, & laterem lauisset: re ad extremum quasi desperatâ, coacta est concludere;

Vt dura cautes vndiq; intractabilis
Resistit vndis, & lacessentes aquas
Longè remittit: verba sic spernit mea.

Certè *Hippolytus* hic quidem est, assuefactus virtuti: nullis mouetur vel blanditijs, vel argumentis, vel calumnijs orationis. Ab ipsâ *Phædrâ*

i *Cic. pro Cœlio.*

k *De dict. & fact. Socrat. lib. 2.*

l *Carm. lib. 2. Ode. 34.*

drâ si rogetur, vel potiùs obsecretur, aut pertrahatur veriùs; clamabit animo forti,

Procul impudicos corpore à casto amoue
Tactus.

Quàm inexpugnabilem eius constantiam, vt contra cuiusque modi hominum consilia, quibus nos ad mala seducent, imitemur: memineri-mus *Didones* esse, quæ cedant, molles mulierculas; *Hippolytos*, qui resistant, adolescentes masculos; *Annas*, & nutrices, fœminas quæ pellicant; etsi viros fortasse sexu, voluntate tamen & sensu effœminatos. Virorum est potiùs in eam partem declinare, quam [m] *Plautinus* ille senex adolescenti, pater filio præcipit, quum mandat, *ne sermonem vllum cum viris improbis exequatur, neq; in viâ, neque in foro.* Metuit ne consilijs ipsorum corrumpatur sibi adolescens. Expertus loquitur.

m In Trinum.

Noui ego, hoc seculum moribus quibus sit Malus, bonum, malum
Esse vult, vt sit sui similis. Turbant, miscent mores mali.

Et potest dubitari, quin seriò cauere nobis debeamus à consilijs eorum,

rum, si contagionis immunes esse studeamus? *Malus, bonum, malum esse vult, vt sit sui similis.* Ita sobrium temulentus, liberalem auarus, studiosum dissolutus, luxuriosus moderatum; mali bonos, malos esse volunt, vt sint sui similes. Nam etsi non audent hanc improbitatem verbis præ se ferre, tamen declarant voluntatem factis. Quod idem senex vidit, & significat filio:

Mores maiorum laudant;
Eosdem lutilant, quos collaudant.

Quamobrem, si rectè à [n] *Cicerone* dictum est, *Te miror, Antoni, quorum facta imiteris, eorum exitum non perhorrescere:* vobis curandum est, adolescentes, vt quorum studia non probatis, eorum consilia aspernemini. Finem faciam consulendi de cauendis consilijs, consilio [o] *Senecæ*; pluribus quidem verbis explicato, sed eorum multitudinem vtilitas compensabit. Is igitur hoc ipsum tractans, quo de agitur: *Sunt quidam,* inquit, *qui vitia tradunt, & aliò aliunde transferunt: horum sermo multum nocet. Nam etiamsi non statim officit, semina in animo relinquit: sequiturq; nos, etiam quum ab illis*

n *Phil. 2.*

o *Epist. 124*

illis discesserimus, resurrecturum postea malum. Quemadmodum qui audierunt symphoniam, ferunt secum in auribus modulationem illam ac dulcedinem cantus, quæ cogitationes impedit, nec ad seria patitur intendi: sic adulatorum & prauæ laudantium sermo diutius hæret, quàm auditur; nec facile est animo dulcem sonum excutere; prosequitur, & durat, & ex interuallo recurrit. Ideo claudendæ sunt aures malis vocibus: & quidem primis. Nam quum initium fecerunt, admisséq; sunt, plus audent. Quibus verbis subtexit voces malorum: *unam felicitatem esse bonæ vitæ, facere omnia liberè, frui patrimonio; hoc esse viuere, seq; mortalem esse meminisse, fluere dies, & irreparabilem vitam decurrere;* cęteraque id genus de fæcibus hausta vitiorum, cuiusmodi, sub *Annæ* & nutricis *Phædræ* personis, sunt expositа. Sed vnum addit *Seneca*, quod nec *Anna Didoni*, nec *Hippolyto* nutrix potuit obijcere: idque ex omnibus tamen improborum consilijs pestilentissimum, facinoribus & flagitijs quasi facem præferens. Nam quum prope sola, certè præcipua, quæ ijs, quos infecit vitiorum lues, relinquitur me-

medicina, sit pharmacum salubris admonitionis: ait ab ipsis instillatum esse monitorum odium, ne vllus sanitati relinqueretur locus. Hanc enim è vocibus illis improborum, vnam fuisse: *Istos tristes & supercilioſos, alienæ vitæ censores, suæ hostes, publicos pædagogos, assis ne feceris.* Itaque fuêrunt, etiam apud *Ethnicos*, homines profani, qui aduersus monita studerent adolescentium aures obstruere: & morum censores, reprehensores libidinum, publicos pædagôgos, contemnendos esse, vt supercilioſos, & tristes, affirmarent. De quibus obserua te, quæso, quid dicat *Seneca*: vt qui morbum indicauit, subministret remedium. *Hæ voces non aliter fugiendæ sunt, quàm illæ quas* Vlyſſes *nisi alligatus præteruehi noluit. Idem possunt, abducunt à patriâ à parentibus ab amicis, à virtutibus: & in turpem vitam, ac miseram, turpiùs illidunt.* Non ignoratis, quam perniciem *Sirenum* P. *Homericarum* voces fingantur illis importare, quos cantilenis suis deliniêrint. Quibus cum hominum improborum voces à *Seneca* videamus, ac meritiſſimè, conferri, restat, vt eas, sapientiæ monitu, cum

p *Odyſſ. μ.*

Vlyſſe

Vlyſſe præteruehamur; ſi peſtem; *Si-renum* arte intentatam, effugere ve-limus. Hæc habui quæ breuiter, pro ratione temporis, de cauendis & exemplis hominum, & conſilijs, vos admonendos putarem. Conſequens erat, vt de maleficijs, & vexationi-bus, quibus aduerſarij, non tam cu-niculos agunt ad ſubruendam ſtudi-orum arcem, quàm vim apertam ad-hibent, itidem vos monerem. Sed de ijs ſeorſùm verba malo facere, quum dabitur occaſio: quàm aut ſtrictim attingere quæ vberiùs tractanda cen-ſeo, aut vobis diutiùs iam moleſtus eſſe. Intereà, immò potiùs & intereà & poſteà, iuuenes ornatiſſimi, enita-mur quæſo, *Epaminondæ* eſſe potiùs, quàm *Thebani*; *Phocionis*, quàm *Athe-nienſes*: non *Syllaturientes Pompeij*, ſed *Catones*; non *Didonis* æmuli, qui audiamus *Annas*; ſed *Hippolyti*, qui nutrices, qui *Phædras* ipſas repella-mus. Quamuis exoſi futuri ſimus, quamuis profugi, quamuis diſcer-pendi, & mortem inuſitatâ ac inaudi-tâ crudelitate per tormenta op-petituri: tamen *Hyppolyti* beatam calamitatem, infelici *Didonis* ac *Phæ-dræ* mollitiei, & prauitati, antepo-namus.

amus. Plus valeat virtus, quàm oluptas; officium, quàm cupiditas; atio quàm libido. Et verò, si malus onum, malum esse vult, vt sit sui si-ilis: nónne contrà, bonus malum, onum esse volet, vt sit sui similis? Si uuenes dissoluti conantur *Alcibia-dem* corrumpere & perdere, vt sit sui similis: nónne *Socrates* philosophus conabitur eum corrigere, vt sit sui similis? Quare, si boni tam esse cupimus, quàm haberi; malos nostri simi-les studeamus facere: præluceamus exemplo, vt sequantur benè viuentes; adiuuemus consilio, vt benè monentibus obsequantur; etiam beneficio (nam iuuat id, quod supereſt, hac in parte præuertere) alliciamus quos possumus; vt ipsi quàm optimi & quàm doctissimi, cunctos virtutibus disciplinisq; excolamus. *Dixi.*

ORA-

ORATIO POST VACATIONEM PASCHALEM.

Anno 1576.

ETsi Vestros sensus, adolescentes optimi, si minùs omnes omnium, at magnam quidem partem, ita experientiâ diuturni temporis perspexisse videor, vt neque de iudicio, quin præstantissimam virtutum artiumq; viam cognoscatis; neque de studio, quin vos in eam detis, vel dederitis potiùs, dubitandum sperem: tamen, vt filium suum *Marcus Cicero*, quanquam abundantem præceptis institutisq; philosophiæ, cohortatus est; item vos mihi quanquam in optimis studijs progressos, vt progressus optimos facere pergatis, excitandos statui. Quod ego ad præstandum (vt ingenuè fatear) accedo subinuitus: ac vtrum è vestigio tanquam ad prælium, ad

Æschi-

Æschinis cum *Demosthene* conflictum egrederer, an priùs imperatorum milites assantium exemplum imitarer, mecum aliquandiu dubitare cœpi. Nam quum morbis animi medicinam facere debeat oratio, comprimendo, quæ tument, roborando quæ languent; quæ inflammant leniendo; coërcendo, quæ diffluunt; expurgando, quæ redundant mea tantum abest, vt hoc officio fungi quibusdam iudicet, vt arguar è contrariò sauciare sanos, non sanare saucios; imprudens, si facio id quod non debeo; infelix, si vitio detur quod non facio. Ac sanè, si quid ipse iudicare possum, idem in eo mihi vsu venit, quod narrat [a] *Velleius* contigisse *Drusо*: *qui tanto meliore ingenio animóque quàm fortunâ vsus est, vt malefacta collegarum, quàm eius optimè cogitata, senatus probaret mágis.* Veruntamen, vt ei non idcircò fuit respublica deserenda, quòd *bene cœpta male cederent*: ita mihi pristinam, credo, rationem suadebitis retinendam, etsi remediorum quæ moribus adhibentur, non tam delectet salubritas, quàm acerbitas offendat. Nec verò tam est integrum, vt meæ quãtulæcunq; hoc in præfandi genere

[a] *Hist. Rom. lib. 2.*

opellæ'

opellæ, ſuſceptæ ad ſtudia veſtra erigenda & confirmanda, parcam. Etenim cùm à primo huius mihi muneris demandati tempore, quando infirmiori dicendi labor erat grauior, nec vos fortaſſe tantum à me expectabatis; hanc tamen rationem ſequi inſtituerim: remittere tandem de cohortandi diligentia, poſtquam eam intendere cùm poſſis faciliùs, tum impenſiùs debeas, videri poſſet hominis aut ſibi nimium indulgentis, aut minus de vobis, quàm par eſt ſolliciti. Quòd ſi inſtituto decedere liceret, ſi veſtra pateretur expectatio, ſi nullam ignauæ, nullam inhumanæ, nullam improbæ voluntatis culpam ſuſcipiendam eſſe intelligerem, ego verò libentiùs tacerem quàm dicerem; vobis offenſæ, mihi moleſtiæ, vtriſque ægritudinis minus crearetur. Sin autem profeſſores doctoreſq; artium, ſunt tanquam animorum parentes diſcipulis; & amor parentum perſeuerans eſſe debet, non temporarius; & perſeuerantia amoris declaratur aſſiduâ bene merendi curâ: abeſſe non poteſt, quin ſi hoc onus ſubterfugiam, & detrectem, aut diligentia, aut be-

neuo-

neuolentia, aut officij fides in me desideretur. Quamobrem velim equidem in omnibus, sed in primis in nobis, ac enitar in meipso, quoàd facultas feret, vt appareant vestigia eximiæ illius animorum coniunctionis, quæ inter *Ciceronem* fuit & *Hortensium*: *quorum alter semper ab altero adiutus est, & communicando, & monendo, & fauendo.* Non omnia, fateor, possunt omnes: ac plerisquè fortassè vestrûm non deest voluntas huius studij testificandi; deest occasio. Quanquam communicandi potestas datur multis; monendi, plurimis; fauendi, vniuersis. Mihi verò ipsi, quoniam occasio non minùs opportuna suppetit quàm voluntas, vestra ijs omnibus studijs iuuandi: idcircò laborandum esse visum est, vt crebrò communicarem, monerem aliquando, fauerem perpetuò. Verùm enimuerò quàm vehementer faueam, factis, vbi liceat, declararemalim, quàm profiteri verbis. Quàm autem libenter & cupidè communicem si cura quotidiana cum vestro, quanto possum, profectu prælegendi nota indicet, tacebo. Quàm fideliter porrò & amanter moneam: conscientia

mihi testis est. Si paulò asperiùs, requirunt tempora: si minùs cum fructu, meliora spero: si imprudentiùs, incommodiùs, volui quod debui, præstiti quod potui; laudandum, voluisse; non præstitisse, ignoscendum. Sed homines pleriq; vel ignorant prorsus, vel parùm attendunt, quam sit illud [b] *Ciceronis monere & moneri*, non solùm, *veræ amicitiæ*, sed etiam solidæ virtutis *proprium*; neq; fæci modò plebis necessariũ, sed & flori populi. Nam, *& monendi*, inquit, *sæpe sunt, & obiurgandi*, qui tandem? *amici*. Quid? *amici*, viri boni? Ita censeo. *Monendi libere, non aspere*. Sint ista: sed *monendi, & obiurgandi quoque sæpe sunt amici*. At irascentur *Marce Tulli*. Imò verò *accipienda sunt ea amicè, quum bencuolè fiunt*. Bene præcipis: sed nemo paret. Quin *& proprium est veræ amicitiæ patienter accipere monitiones, non repugnanter*. Ne tu mirabilem narras paucitatem verorum amicorum! Ita multi repugnanter accipiunt, non patienter, vt omnia inimicis, aut amicis falsis, plena videantur. Proinde non immeritò *Ciceronis Lælius*, postquam dixerat *monitiones, & obiurgationes accipiendas amicè*,

[b] *De Amici.*

quum

quum beneuolè fiunt, subiungit continuò, quasi reuocans seipsum; *Sed nescio quo modo verum est, quod in* Andria *familiaris meus* Terentius *dixit: Obsequium amicos, veritas odium parit.* Atq; haud scio, an *Lælij* sententia, (vt nunc sunt mores) non dicam plausibiliùs, sed probabiliùs inuerti possit. Nam ille *molestiam* ait *esse veritatem, siquidem ex eâ nascitur odium quod est venenum amicitiæ: sed obsequium multò molestius, quod peccatis indulgens præcipitem amicum ferri sinit.* Nobis autem molestum videtur obsequium, quod imprudentes perire sinit: sed veritas multò molestior, quæ corrigit peccata. Errauit: Dicendum erat; iucundũ obsequium, quòd illecebris voluptatum delinit molles animos: sed veritas molestissima, quæ seueris monitis teneras auriculas radit & offendit. Nam etsi hoc totum *monere*, & *obiurgare*, a veris amicis nostrâ gratiâ adhibeatur; tamen nihil est minùs gratum: nihil inuitiùs auditur, nihil iniquiùs accipitur, nihil respuitur fastidiosiùs, nihil indigniùs conculcatur. Adeò parui æstimatur illud, quo præceptionem suam concludit *Lælius*: *Cuius*

aures ita clausæ veritati sunt, vt ab amico verum audire nequeat, huius salus desperanda est. Quæ si adultis nobis tam persuasa foret sententia, quàm in scholâ pueris solet esse nota: non minùs iucunda ad aures accideret, quàm animo salutaris est, admonitio & obiurgatio. Quemadmodum enim oues, è cunctis animantibus, commoditates habent maximas, sed & maximis obiectæ malis requirunt maximam pastoris curam; & vites, ex arboribus, fructu excellentes desiderant operam vinitoris, ne sarmentis luxurient, aut egeant adminiculis; & agri feraciſſimi inutiliſſimis syluescunt herbis, nisi agricolæ industriâ perpurgentur: similiter in hominibus, indoles præstantissimæ, nisi cultores habeant quorum monitis ac reprehensionibus curentur & congregantur, deprauantur facilè, vel pergunt potius esse praui, & in omni genere errorum, facinorum, flagitiorum volutari. Quare, si quis aurium delicatiorum verba tantùm plumea melleáque probet, quasi nihil nisi rosas (quod aiunt) loqui debeamus: is discat à [c] peritis rerum naturæ; apes consuesuisse amariori-

[c] *Plin. hist. l. 11. cap. 6.*

bus

bus succis suos alueos illinere, aduersus aliarum bestiolarum auiditates. Discat à filijs medicorum, nulla remedia quæ vulneribus adhibentur tam facere dolorem, quàm quæ sunt salutaria. Discat à Philosophiæ cultoris [d] principe, iram vtiliter à naturâ datam, vt cotem fortitudinis; addo etiam seueritatis. Denique meminerit duos *Catones* eruditorum omnium consensu laudatos: *Censorium*, & *Vticensem*; *Censorium*, qui [e] professus est *sæpe se quæstum esse de fœminarum, sæpe de virorum, nec de priuatorum modò, sed etiam magistratuum sumptibus; diuersis, duobus vitijs, auaritiâ & luxuriâ, ciuitatem laborare: Vticensem*, qui [f] hoc ipsum *de luxuriâ & auaritiâ ciuium suorum se* quoque *sæpe questum* quum commemorâsset; *multos se mortales ob eam causam aduersos habere*, adjecit. Quòd si nemo erit tantâ mollitie, vt reprehensiones omnes reprehendat, modum se tantùm desiderare dicat, ac illud ostendat è *Ciceronis Lælio, monitio careat acerbitate*: ei considerandum est, primò, non solùm *monitionem amicorum*, sed etiam *obiurgationem* ibi probari; quarum in alterâ cum *acerbitate*

d *Arist. de Mori. lib. 3.*

e *Liu. l. 34.*

f *Salust. de coniu. Cat.*

interdicatur, in alterâ permittitur, vetatur tantùm *contumelia*. Deinde, non de quibuſuis, ſed de *amicis* agi; eósque niſi bonos, nullos agnoſci: nobis autem eſſe quandoque negotium cum malis, cum improbis, cum inimicis noſtris, vel ſuis potius, & virtutis. Poſtremò, *Ciceronem* ipſum affirmare, *nonnunquam veniendum eſſe ad acerbum caſtigandi genus, vt ſolent ad vrendum & ſecandum medici, quum nulla reperitur alia medicina*. Sed neſcio quo pacto à monitionibus ad obiurgationes delapſa eſt oratio mea, de quibus verba facere non inſtitueram. Nam quorſùm hæc vobis, auditores humaniſſimi? quorum, & ingenia, optimarū artium ſtudijs manſuefacta, tractabilia ſint neceſſe eſt; & oculis ea ſpecies honeſti ac ſapientiæ obuerſetur, ſpero vt mirabiles excitet amores ſui.

Quanquam monendi eſtis nihilominùs. Siquidem, & medicos corporum videtis non tantùm homines ægros curare: verùm etiam ſanis, ne in ægritudinem incidant, præcauere. *Achillem* poëtæ fingunt, infantem Stygijs aquis immerſum, fuiſſe reliquis omnibus membris invulnerabilem:

lem: eâ solâ parte pedis vnius sauciari potuisse, quâ tenebatur à *Thetide*, cum aquis immergeretur. Miretur aliquis interfectum; sed eâ ipsâ parte confixus est à *Paride*, quâ solâ potuit sauciari. Eodem modo nobis cogitandum est, licèt aquis *Heliconis*, imò, diuinioribus tincti fuerimus ne vulneribus pateamus; tamen non esse nullam partem reliquam quæ telo inimici cruentari possit. Præcauendum igitur, ne per insidias trucidemur. Habemus nostrum *Paridem* semper vigilantem, ita inflammatum furore, vt cupiat; instructum astutiâ, & armis, vt possit, nobis insanabile vulnus infligere, nisi *Achille* simus cautiores, etsi fortiores *Achille* essemus. Quamobrem, vt g *Helenus* præmonuit *Æneam* de periculis imminentibus, de incolis magnæ *Græciæ*, de *Scyllâ*, de *Charibdi*; quò posset incólumis in *Latium* appellere, cóque h solatio in ærumnis perfrui,

g *Virgil. Æneid. l. 3.*

h *Æneid. lib. 1.*

——*Sedes vbi fata quietas, ostendunt:*

ita vos mihi censui monendos de exemplis, de consilijs, de maleficijs hominum; vt declinato, quod ab illis imminet vobis, periculo, in cœleste *Latinum*, quo debetis tendere, duce

Deo, peruehamini. Atque ab exemplis quidem & consilijs, de quibus ante dictum est, minus videtur periculi metuendum. Ne maleficijs terreamini, quod tractandum restat, magis, (vt est hominum infirmitas) verendum est. Nam exemplis peioribus possunt meliora opponi, & præponderant non peioribus modò exemplis malorum, sed eorum etiam qui minimè mali videantur. Vt i *Cicero* de *Pompeio*, quum vrbem relinqueret: *fecit idem* Themistocles; *at idem* Pericles *non fecit*; & *nostri olim, vrbe relictâ captâ, arcem tamen retinuerunt.* Consilijs autem, tantum abest vt labascant animi bonorum, vt confirmentur magis: sicut ignis vehemens, si comprimatur, violentiùs erumpit. Et quanquam sit difficile, consilia amicorum itidem reijcere, ac eorum quos odimus; fas est tamen ipsos in summâ rei sic accipere, vt k *Andromacha Helenam* modò mitiùs, lenúsque, pro discrimine personarum;

i *Epist. ad At. l. 7. ep. 11.*

k *Senec. in Troad.*

—*Quisquam dubius ad thalamos eat;*
Quos Helena *suadet?*

Cæterum maleficijs, quæ dolorum quasi faces vobis admouent, illud te-

nerum

nerum & molle, quod natura insitum in animis habemus, ita premitur distringiturq; : vt vix inuenias quenquam, aut prudentia tam excellentem, aut tam inuictum fortitudine, qui, quum fodiatur angorum aculeis, non à virtutis studio desciscendum propemodùm arbitretur. Quis enim *Athenicusium Demosthene* prudentior? Quis *Romanorum Bruto* fortior? At *Demosthenes* post Rempublicam lucu lenter administratam, quum nescio quid ærumnarum, virtutis comitum degustâsset, [l] dixisse fertur adolescentibus, à quibus inuisebatur, *si duas ab initio sibi propositas vitas habuisset, quarum vna ad tribunal & concionem duceret, altera ad interitum; præsciuisset q; mala, terrores, calumnias, inuidias, contentiones, quæ capessentibus rempublicam cucniunt : se in eam viam quæ rectà ad interitum ac perniciem ferret, fuisse potius ingressurum.* *Marcus* autem *Brutus* varijs post oppressam *Cæsaris* tyrannidem molestijs conflictatus, postquam ad extremum, victus ab *Augusto*, moriendum sibi statuit, [m] in illam querelam *Herculis* erupit : *O misera virtus, nihil eras nisi verba! At ego te, vt inclytum*

[l] *Plutar. in vita Demost.*

[m] *Dion. hist. Rom. l. 47.*

opus exercebam: tu verò seruiebas fortunæ. Magna *Demosthenis* & *Bruti* virtus: sed maior aliquando virtute vis dolorum. Ita, qui satis se fortiter in periculis gesserunt, vt viri: fracti ærumnis errârunt, vt homines; & virtuti vitium perperàm imputârunt. Neq; id mirum. Non enim amor solùm, verùm etiam dolor in iudicando cæcus est. Alioqui nec *Demosthenes* adolescentes absterruisset, quò minùs patriæ seruirent, etsi turbulentissimis procellis iactarentur: nec *Brutus*, calamitatibus acceptis virtutis ergò, virtutem verba esse, non opus excellentissimum; fortunæ pedissequam, non dominam casuum humanorum, cum *Hercule* conclamâsset. Quid igitur? An ipsorum debemus esse similes? At ne ipsi quidem fuerunt sui. Nos verò priorem *Demosthenem*, & *Brutum* nobis proponentes, illum *Demosthenem, qui redit exuuias indutus Achillis*, id est, *Æschinis*; illum *Brutum*, qui patriæ salutem exitio redemit suo, ita super omnes animatissimus, vt quamuis inimicorum odijs affligamur, traducamur contumelijs, è patriâ relegemur, quamuis immeritò tractemur modis

modis indigniſſimis, exagitemur, ob-
ruamur; quam uis iniurias, quaſcunq;
demùm poſſunt vel petulantes lin-
guæ, vel inſolentes animi, vel manus
violentæ inferre, patiamur: tamen
cum illo n *Virgiliano* ſene, tum ſen- n *Æne. l. 5*
tiamus ipſi, tùm alijs conſulamus.

Nate Deo, quò fata trahunt, retra-
huntq; ſequamur:
Quicquid erit, ſuperanda omnis for-
tuna ferendo eſt.

Sit illud ſolatium inſtar arcis inex-
pugnabilis aduerſus omnes malorum
impetus, quòd nobis ſumus conſcij
rectæ voluntatis; nec volumus, & non
nitimur, ſed nitimur ad optima, &
optimis reſtat præmium. Agat altiſ-
ſimas in imis ſenſibus radices, quod
o poëta cecinit, *hic murus aheneus eſto;* o *Hor. Ep. li.*
Nil conſcire ſibi: quod dixit p orator, 1 *ep.* 1.
nullum theatrum virtuti maius conſci- p *Cic. Tuſ.*
entiâ: quod Philoſophi docent, ne *quæſt. lib.* 2.
Phalaridis quidem tormentis ſuccum
bendum, vt ab officio recedamus:
quod denique profani, ſolâ naturæ lu-
ce illuſtrati homines ſenſerunt, &
concelebrârunt, nunquam teterri-
mas carnificinas conſcientijs, aut ma-
lis defuturas aut obſuturas bonis.

Hoc

Hoc autem fundamentum actionum omnium noſtrarū ſi iecerimus; quod (vt confido) facimus, debemus quidem; certè poterunt nè tandem vlla maleficia (quum dico maleficia, vexationes cunctas dico) poterunt nè igitur maledicentiæ ſpicula, aut irriſionis, imò ipſa fulmina violentiæ nos depellere, quò minùs faſtigium virtutum & doctrinarum ei ſuperſtruamus? Obtrectatorum, credo, verbis mouebimur vt ſtationem deſeramus; quum ea philoſophos (quibus Chriſtianos inferiores eſſe pudeat) & vellicârint, nec inflexerint. q *Socrates*, quàm ſcurriliter ab q *Ariſtophane* poeta, coram populo, in theatro perſtrictus eſt? Quàm iniquis calumnijs ab r *Anyto & Melito* vexatus apud iudices? vt futilis nugator, vt magiſter inceptiarum, corruptor iuuentutis, impietatis ſeminator. Quâ maledicorum tamen petulantiâ non modò non eſt fractus; ſed etiam eorum licentiam probauit: *quia*, ſ *ſi vera vitia nobis obiecerint, corrigemus*, inquit, *ſin falſa, nihil ad nos*. Præclarè *Socrates*.

q *In comœd.* Νεφέλαις.

r *Plat. apol. Socrat.*

ſ *Diog. Laer. in vita Socra.*

Quanquam, ſi falſa dixerint de nobis; etiam ſi nihil ad nos, ad alios tamen,

tamen, ideóq; non negligenda: ne malâ de *Socrate* opinione conceptâ, *Socratis* doctrinam auersentur homines; atq; eueniat vt illis minùs prosit, quibus maximè prodesse cùm velit, tum debeat. Sed laudanda est eius & patientia, & prudentia: qui dictis maledicorum, non mouebatur falsis, veris etiam iuuabatur. Futilitas, ineptiæ, corruptela, impietas, acerbæ contumeliæ; præsertim innocenti. Quid si accedat eò, vt amentes esse, vt furere dicamur; vt in *Anticyras* amandemur, tanquam insani? An hoc grauissimo viro, *Democrito Abderitæ*, propter eximium probitatis & sapientiæ studium cuenit: nobis non idem euenire poterit? Illius ad *Hippocratem* (qui senatus populiq; *Abderitarum* rogatu venerat, ipsum curaturus) t extat Epistola, ab his exorsa verbis, *Venisti*, Hippocrates, *daturus nobis helleborum, tanquam insanientibus; persuasus ab insipientibus, qui virtutis laborem insaniam esse arbitrantur.* Cui respondens *Hippocrates*, fatetur *se fuisse vocatum ad eum, tanquam insanientem, helleboro purgandum. Postquam autem ipsius è colloquio congressuq; studium perspexisset,*

t *Inter epist. Hippocrat.*

isset, non amentiæ opus, sed omni dignum laude & admiratione: iam Abderitas, quorum rogatu venerat, insanos sibi viros; ijsq; helleboro potius opus esse. Ergo *Democritus* constanti est animo, licet à ciuibus suis insanus esse dicatur; à cuncto senatu populoq; *Abderitarum. Socrates* non solùm se carpi maledictis, verùm etiam petulantissimè irrideri præsens audit, neq; angitur. Nos, institutis cœlestibus informati, non parem constantiam (nequid amplius requiram) ferendis patienter contumelijs exhibebimus? Cùm præsertim *Aristidis*, qui calumnijs laceratus est, quum officium præstaret, quum autem in sceleribus conniueret, laudatus, exemplo doceamur, consueuisse vulgo bonos reprehendi, malos prædicari? Namque *Phocionis* animum inuictum commemorare tædet: quem, existimantem (opinor) oportere liberas esse linguas in liberis ciuitatibus, adeò maledicta non offendebant, vt inter dicendum in concione lacessitus, ne responso quidem ea dignaretur. Sed quid humilioris conditionis homines, aut insenescentes humanioribus literis, aut crebris ærumnis exer-

exercitatos & cicuratos recenſeo? Aſpicite magnum illum *Alexandrum*, regem florentiſſimum, elatum ſecundarum rerum ſucceſſu, diuturnoq; vſu armorum efferatum.[u] Qui, quum amici, ditati ſpolijs orientis, quieremq; & otium (vt fit) labori præferentes, ita pertæſi eſſent rerum bellicarum, vt ei victorias quærenti nouas obtrectarent: leni tulit animo, magnificentiſſimamq; ſententiã ſubiecit; *regium eſt audire malè, quum benè facias*. Videlicèt *Homerum* aſſiduè peruoluebat, in quo videbat regem *Agamemnonem* verborum contumelias audire tolerantur. Et quod magis miremini, [x] *Therſites*, homo omnium *Græcorum* fœdiſſimus, alijs quieſcentibus, conuiciatur *Agamemnoni*: *Græci* ſtomachantur, *Agamemnon* tacet. *Therſites* impunè terret, niſi tandem ab *Vlyſſe*, & verbis compreſſus, & ſceptro caſtigatus eſſet. Iam, ne quis *Vlyſſem*, non ferentem conuicia *Therſitis* in *Agamemnonem*, prætexat ſuæ mollitiæ, ſi conuicijs excandeſcat: ſcitote *Vlyſſem* ipſum, petitum conuicijs, non minùs in ſuis, quàm in ſuis *Agamemnonem*, patientem fuiſſe. Quum enim mitteretur,

u *Plutarchus in Alex.*

x *Homer. Iliad. B.*

ex

ex oraculo *Chalcantis*, ad *Hectoris* filium *Astyanactem*, ab *Andromacha* petendum, vt ipso occiso, quem vltorem metuebant, securiores abirent *Graeci*,[y] *Andromachæ* deprecanti respondit quod res erat;

[y] Sen. in Troad.

Non hoc Vlysses, sed ne gat Chalcas tibi.

Verùm illa (vt homines, si quid, quod regent, neges, facilè cùm suspicantur pessima, tùm loquuntur,) ardens iracundiâ cum acerbissimis probris proscindit.

O machinator fraudis, ô scelerum artifex,
Virtute cuius bellicâ nemo occidit,
Dolis, & astu malefica mentis iacent
Etiam Pelasgi: vatem, & insontes Deos
Prætendis?

Prætendi calumniatur id, tanquam falsum, quod ab *Vlysse* verè dicebatur. At quàm maledicè? quàm procaciter? quas intorquet contumelias? quâ licentiâ debacchatur? Quasi quidquis liceret mulieri dolenti.

— Hoc etsi pectoris facimus tui,
Nocturne miles, fortis in pueri necem.
Jam solus audes aliquid, & clavo die.

Sed quid *Vlysses* contrà? Num conuicia rependit conuiciis? Nihil minus. Non extinguitur ignis igni, sordes sordibus non eluuntur. Quid igitur respondet? Attendite prudentiam, modestiam, tolerantiam.

Virtus

Virtus Vlyſſis nota Danais eſt ſatis,
Nimiſq; Phrygibus. Non vacat vanis diem
Conterere verbis: anchoram claſsis legit.

Quàm multa quàm paucis: quàm grauiter & moderatè? Calumnias refellere, nec opus eſſe, nec vacare: iudicijs, & ſuorum, & hoſtium, ſe acquieſcere: vana, quæ præter rem; inſtitutum vrgendum eſſe. Nimirùm fœminarum eſt neque earum laudatiſſimarum, rixis contendere: virorum, nihil loqui præter decorum; ſi contrà quàm deceat rodantur, non moueri. Quòd ſi tam excelſam animi conſtantiam in calumnijs ferendis adhibeamus oportet; quarũ maior tamen habenda eſt ratio, ne, ſi inurant notam infamiæ, virtutis detrahant opinionem, id eſt, autoritatem, non minimam bene gerendis rebus adiutricem: quantò minùs ludibrijs, quibus ſibi maius improbitatis dedecus atq, detrimentum important petulantes?, quàm nobis ignominiæ, conuenit commoueri? Non ſum neſcius homini liberaliter educato ea peracerba, duraque toleratu eſſe conſueuiſſe: vt mihi non immeritò videatur ille, quicunq; fuit, apud *Menandrum*, voluiſſe potius cruciari, quàm irrideri: cuius ipſe rei

hanc

hanc rationem reddit, *Hominem ingenuum irrideri, turpissimum; cruciari, humanum est.* Veruntamen quum recogito præstantem animi firmitatem virtutibus exaggerati, non modò stimulos dolorum, sed tela etiam ac tormenta omnium humanorum casuum contemnentis: non possum facere quin reclamem [z] *Euripidis Medeæ*, quæ *Creontis* filiæ *Iasoni* desponsæ, nec ipsi solùm, sed propinquis, immò & suis liberis ex *Iasone*, susceptis, se interitum allaturam esse protestetur, quòd ab *Iasone* sponsa, *Creonte, ab hostibus irrideri, sit res non ferenda.* Irrisionem ferre non potest *Medea*, fugitiua, scelerata, venefica muliercula. At *Socrates* tulit; & tulit in publico ciuium suorum, fortasse & Græcorum aliorum concessu; nec ab hostibus modò se irrideri tulit, sed etiam à poëta quem hostes subornârunt, ab *Aristophane*, vti dixi, histrionibusq; & spectatoribus comœdiæ. Videant quorum animi, non viriles, vt *Socratis*, sed muliebres, vt *Medeæ*, tam indignè ferunt irrisiunculam, vt propterea non dico, malum machinentur (sit id *Medeæ*, proprium) sed vel à bono recedendum putent. Tan-

[z] *In Medea.*

quam

uam ex illâ *gente* essent oriundi, *casi*
æc vna fuisse causa [a] *fertur vrbem su-*
m transferendi, quia frægorem Nili
adentis ferre non posset. Quod in eam
artem tamen nolim accipi, quasi
xistimem condemnandos omnes
uos moueant contumeliæ; (quem
nim non mouent?) sed vt doceam
notus animi, quando exiſtunt, rati-
ne comprimendos: ne, si vehemen-
iùs, ac par est, efferuescan-, aliquid
nobis extorqueant quod non dece-
t. Nam quòd rex *Antigonus Theo-*
ritum poëtam, pungentem dicto,
repunxit gladio: impotentis fuit iræ
Quòd *Diogenis* discipulus risu accep-
us magistrum dereliquit: verecun-
diæ vitiosæ. Quòd *Demosthenes* ex-
plosus ab *Athenienſibus*, ardentiùs se
dedit studijs: generosi animi. Quòd
autem *Q. Lollius* senex arator, quum
Verris Apronio, iniquum poscere-
tur, coactus contumelijs illudentium
asseclarum, *Apronij q;* cachinnantis,
ad ipsius venit leges: iniuriam acci-
pere, quàm ferre contumeliam ma-
luit; humanum est. In quo liceret
tamen conditionis nostræ miseriam
lamentari, quibus assiduè perpetien-
dum est, quod *Siculis* sub *Verre* con-
tigit:

[a] *Senec. E-*
pist. 57.

tigit? vt rideantur *Lollij*, *Apronij* cachinnentur; integritas vexetur, improbitas insoleſcat; illudatur viris bonis, nequiſſimis applaudatur. Quin optandum quidem eſſet, vt vltra b *Lollios* atque *Apronios* calamitatis huius æſtus non aſſurgeret. Neque enim, ſi aut fures nepotéſque irrideant, aut irrideantur aratores & opifices tantoperè dolendum eſt. Verùm, vt ij, qui candidas *Muſarum* ianuas frequentant, alió q; tanquam ſaleſapientiæ debent condire, aut irrideantur, aut irrideant: res & exempli eò magis praui ac pernicioſi, quo latiùs manat malum, & tabem à fontibus ad riuulos diffundit. Sed quoniam in ea tempora incidimus, in quibus vtrunque horum vulgò fit: armemus nos oportet animo *Catonis*, & *Ciceronis* ſtomacho, ne ſub iſto pondere quaſi ſatiſcamus. Atq; hunc in finem, quis ſit exitus ſtultitiæ eorum, qui irrident; quis efficij noſtri, qui irridemur, fructus, conſiderandum eſt. Quorum vtrumque laudatus ille mihi ſæpenumerò *Seneca*, philoſophus quidem Stoicus, ſed ad Epicureos noſtræ ætatis mores caſtigandos autor tantò aptior in

b *Cic. in Ver. lib. 3.*

ſuis

suis ad [c] *Lucilium* Epistolis annotauit. Alterum, quum iuuenem, magno ingenio, sed in prauum iam tendente, *Marcellinum*, ad meliora hortaturus, quem tamen sua monita, risurum verebatur: *Si ridere* (inquit) *perseuerabit, gaudeo, tanquam in malis quòd illud genus insaniæ hilaræ contigerit. Sed non est illa hilaritas longa. Obserua: videbis eosdem intra exiguum tempus acerrime ridere, & acerrime rudere.* Alterum, [d] quum expositâ atque reprehensâ hominum peruersitate concurrentium ad theatrum, ad libicines, ad præcones, ad inepta spectacula: *at in illo*, inquit, *loco, in quo vir bonus discitur, pauciſſimi sedent; & hi pleriſque videntur nihil boni negotij habere quod agant; inepti, & inertes vocantur. Mihi contingat iſte deriſus. Æquo animo audienda ſunt imperitorum conuicia, & ad honeſta vadenti contemnendus eſt iſte contemptus.* Illis nãque verbis, *ad honeſta vadenti*, significat tantam esse virtutis dignitatem, vt omnium cõtemptuum & cõtumeliarum indignitatem absorbeat. Sicut & [e] *Piso* Peripateticus, appellans *quæ ſecundum naturam ſunt, bona*, fore tamen asserit, vt *ſi virtu-*

[c] *Epist.29.*

[d] *Epist.77.*

[e] *Cic. de fin. bon. & mal. lib.5.*

tis

tis amplitudo quasi in alterâ libræ lance ponatur, terram ea lanx & maria deprimat. Quare, si nobis operam in studio virtutis collocantibus contingat irrideri, si inepti vocemur, atque inertes, & quicquid præterea comminisci poterit dicax imperitia: nullus nobis alius derisus contingit, quàm quem optauit sibi *Seneca*, nulla alia conuicia, quàm quæ pronuntiauit æquo animo audienda, quò fortiùs perstandum, & contemnendum esse istum contemptum ad honesta vadentibus, debemus meminisse. Nisi fortè Stoicos ac Peripateticos honorificentiùs sentire de virtute, quàm Christianos, patiemur: aut eam nostro sæculo minùs contumelijs obnoxiam infestámque esse arbitrabimur, quàm suo [f] *Ambrosius*, quùm hanc querelam texuit; *Quoties inter fabulas ebriorum, virtutes probro sunt, peccata laudi, honestas ludibrio, continentia risui, misericordia vanitati? Isti sunt morbi, qui mala sua in multos transferunt. A paucis corruptela peruenit ad omnes. Sedent in consilijs, derogantes sobrijs, ructantes crapulam. Sedent in tabernis, de ebrietate certantes. Verecundus si transeat, eru-*

[f] *Enarrat. in Psal. 1.*

erubescet, à singulis carpitur; si flagitiosius, omnium ore laudatur, & tanquã morbus transit in animis singulorum. Mihi verò tam germana videntur hæc esse eorum quæ fiunt apud nos passim: vt, nisi querimoniam illam ab alio scirem olim habitam, ab aliquo è nostris nuper institutam suspicaturus sim. Itaque perinde hodiè, ac olim præceptum est cognitu & observatu necessarium; ad virtutem, ad sapientiam, ad honesta vadentibus, optandum esse potiùs quàm metuendum derisum, & audienda æquo animo conuicia, contumeliasq; omnes contemnendas. Iam, si verum est homines ingenuos & liberaliter educatos cruciari malle se, quàm irrideri: non dubitò, quin contumelijs ferendis assuefacti, iuuenes ornatissimi, multò faciliùs vos ad perferendas injurias & incommoda sitis comparaturi. Scio quo in loco, & quibuscum agam. Alioqui subtimerem, ne mea miserabilis esse videretur ad rerum optimarum studium adhortatio, qui pro laudibus, calumnias; ludibria, pro dignitate, pro emolumentis, honoribus, voluptatibus, iniurias & incommoda subeunda commemorem.

morem. Quid aliud afferres, diceret homo rudis, si dehortareris? sed vobis qui (in g opere, quod h Plinius ediscendum, non modò in manibus quotidiè habendum monuit) *dubitasse* Herculem, *quum duas cerneret vias, vnam voluptatis, alteram virtutis, vtram ingredi melius esset*, ab eius narrationis i autore hanc poni, *quòd eorum quæ bona præclaraq; sunt, nihil largiatur Deus hominibus sine labore, diligentiâ, contentione; contrà perfacile sit ac periucundum otio, luxui, cupiditatibus indulgere.* Nam etsi voluptates istas vitiosorum excipiant fastidia & dolores maximi; bonorumq; vicissim labores ac ærumnas, incorruptæ, solidæ, perpetuæ, voluptates comitentur, & consequantur: tamen suis interim delicijs oblectantur improbi in præsens; & ad optima contendentibus, multa dictu grauia, perpessu aspera, occurrunt. Itaque si viam, quam commendo vobis, laboriosam, impeditam, arduam, plenam molestijs, difficultatibusque esse negem, mentiar. Neque solùm tacitæ vestræ conscientiæ me coargueret, sed etiam historiæ nationum omnium. Proferent enim Græci suum

g *Libris Cic. de offic.*
h *Hist. nat. præfat. ad Vespas.*
i *Prodic. apud Xeno. de dict. & fact. Soc. lib. 2.*

Agamem-

Agamemnonem: cui, magnis meritis illos complexo, *pro beneficientiâ pœnas reddidisse* k prouerbio celebrantur. Vt gerent *Ephesij* suum *Hermodorum*, virum præstantissimum: quem ne quis ex ipsis vnus excelleret, è ciuitate expulêrunt. *Romani* verò ciuium nobilissimorum exercitum obijcerent: *Catones*, *Vticensem* inclusum in carcere, *Censorium* accusatum quater & quadragies, nobiliumque odijs semper agitatum; *Scipionem Africanum*, *Rutilium Metellum*, in exilium eiectos; *Varronem*, *Ciceronem*, *Senecam*, *Papinianum*, innumerabiles alios, spoliatos vitâ; nonnullos exquisitissimis etiam supplicijs, crucibus, flammis, ferarum laniatu, mactatos ac discerptos. Dies me deficeret citiùs, quàm oratio, si velim singulis immorari. Vni *Athenienses*, quibus nulli vnquam aut laudem virtutis magis concupiuerunt, aut virtutem minùs, tam multa dederunt eiusmodi exempla, vt cæteris vniuersis palmam præripere in hac improbitatis exuperantiâ voluisse videantur. Nam vt omittam quàm indignis modis quales & quantos viros tractârint, *Solonem*, *Miltiadem*, *Themistoclem*, *Cimonem*,

k Ἀντ' εὐεργεσίας Ἀγαμέμνονα τισαν Ἀχαιοὶ.

monem, Phocionem, Socratem: legem de ostracismo, quo vocabulo ducto ab ostraco, id est, testulâ, significabant genus relegationis ei, quem nomine testulis inscripto notârunt, irrogatæ, sed legem de eâ relegatione, ad minuendas nimias ciuium potentium opes institutam, aduersus eminentes virorum optimorum virtutes intorquebant; & honestum eo fræno coërcebant, quo debebant tyrannidem. Quippe qui *Damonem, Periclis* magistrum idcircò relegârint, quòd prudentiâ excelleret: *Aristidem* verò; quòd æquitate, & bonitate; vsque adeò vt iusti cognomento celebris inclytusq; esset. Ita vbiq; semper locum habuit illa l *Boëthij* afflicti tristis ode.

l *De cons. Philos. lib. 1.*

Latet obscuris condita virtus
Clara tenebris, iustusq; tulit
Crimen iniqui.

Ac miretur quidem aliquis fortassè, quî fiat, vt, quum *nihil virtute amabilius* esse m dicatur, *nihil quod magis alliciat ad diligendum*; bonos tamen vulgò plerique mortalium habeant exosos, & tanquam inimicos generis humani exagitent, insectentur. Sed istius rei causam aperuit *Atheniensis* cuius-

m *Cic. de amicit.*

cuiusdam, in *Aristide* condemnando, hominis illiterati rudisq; simplicitas. Is enim, quum populo ad exercendum ostraciſmi iudicium coacto *Aristidem* (in quem sibi ignotum fortè incidit) oblatâ testulâ rogâſſet, vt ei *Aristidis* nomen inſcriberet: mirante *Aristide* atque ſciſcitante, ecquid ipſi mali feciſſet *Aristides? Minimè verò*, inquit, *neq; noui hominem, ſed hoc me malè habet, quòd iuſtus paſſim appellatur.* Multorum ſenſus abditos vnius dictum patefecit. Nam cæteros quoque ciues, qui ſe profitebantur *Aristidem* eijcere, quòd, ne dominatum occuparet, timerent, metum tyrannidis prætexuiſſe tantùm, reipſâ dignitati & gloriæ inuidiſſe, à prudente hiſtorico obſeruatum eſt. Neque hoc illius ſæculi fuit proprium. Idem de ſuo conqueſtus eſt[n] *Cicero*; cuius & in noſtrum nimis quadrat conqueſtio: *Eſt hæc huius ſeculi labes quædam & macula, virtuti inuidere, velle ipſum florem dignitatis infringere.* Itaque bonis peſtem exoptant, & intentant homines; quòd eorum lucem, virtutem, præſtantiam ægrè aſpiciant. Verùm, ſiue eò impellantur inuidiâ, quòd laudes alie-

Plus in vita Arist.

n *Pro Corn. Balb.*

nas ſuis luminibus officere arbitrentur, vt *Ariſtidis*, & *Damonis*, *Athenienſes*, ſiue iracundiâ, quòd ſe ab illis argui & admoneri moleſtè ferant; vnde in *Caliſthenem* exarſit *Alexander*, *Dionyſius* in *Platonem*, *Critias* in *Socratem*: ſiue formidine, quòd ſuis cupiditatibus obſtructum iri aditum illorum ſeueritate metuant; vt nobiles *Romani*, quia triſtem Cenſuram à *Catone* expectabant, eum conabantur honore deijcere: ſiue odio concepto ex diſſimilitudine ſtudiorum & voluntatum, quò fit, vt auerſentur integros iniqui, religioſos impij, libidinoſi caſtos, probos ambitioſi, auari, diſſoluti; præſertim quos honoribus, commodis, voluptatibus ſuis obſtare, aut ſciunt, aut ſuſpicantur: ſed quâcunq; demum prouocentur cauſâ, illud manifeſtum eſt, virtute, quâ nihil amabilius eſſe debuit, nihil eſſe inuiſius; nihil, quod magis exacuat ad inſectandum, inimicitiaſque & calamitates vt magnes ferrum, attrahat. Id experimentis multis, & magnis comprobauit olim *Romana* reſpublica: vt vos, adoleſcentes, ex *Ciceronis* veſtri, cùm philoſophicis ſcriptis, tùm orationibus, pro *Sexto Roſcio*

Liu. l. 39.

Roscio Amerino, pro *Flacco*, pro *Milone*, atque inprimis pro *Sextio*, didicistis. Vbi quiritatur, *eos, qui rempublicam afflictam excitârint, & latrocinio domestico liberârint, mœstos, sordidatos, reos, de capite, de famâ, de ciuitate, de fortunis, de liberis, dimicare: eos autem, qui omnia diuina, & humana, violârint, vexârint, perturbârint, euerterint, non solùm alacres, lætosq; volitare, sed etiam voluntarios fortissimis atq; optimis ciuibus periculum moliri.* Nihil necesse est exempla recentia antiquis attexere, domestica externis. Cæterùm, quàm occurrant crebra in communi & quotidianâ vitâ, vobiscum ipsi facilè potestis recordari. Atque hinc existit illa nostrorum temporum calamitas, quòd plerique deserunt meliores partes, vtiliores fouent; florentemq; improbitatem afflictæ præferunt virtuti, & languere cum dignitate, quàm cum periculo laborare malunt. Immeritò, quis neget? Sed homines humana mouent. *Quotus enim quisq; est*, inquit, ° *Cicero qui hanc in republicâ sectam sequatur*; (bonorum dicit studium, & institutum vitæ:) *quum illam* (improborum) *viam sibi*

° *Pro Flac.*

videant expeditiorem ad honores, & ad omnia, quæ concupiuerunt? In *Cæsarem* Dictatorem, de *Gallis*, *Ægyptijs* regibusq; *Ponti & Mauritaniæ* triumphantem, ceciniſſe traduntur milites: *Si benè feceris punièris; ſin malè regnabis.* Quo dicto P putantur hoc ſignificâſſe, *Cæsarem*, ſi libertatem redderet reipublicæ, vt virum bonum decebat; ſupplicio affectum iri, quòd violâſſet leges: ſin autem dominatum, quem habebat, retineret, ac in malo perſeueraret, præfuturum rebus *Romanis* vt Principem, & Imperatorem. Fortaſſe & illud innuere voluerunt, ſi quis bonam cauſam tuendam ſuſceperit, vt *Pompeius*, cæterique, pœnas, quales illi dederant, daturum: ſin malum, vt *Cæsar*, conſequuturū præmia, nec triumpho ſolùm ſed etiam regno potiturum. Certè reliqui militares ioci, iacti in *Cæsarem*, eos de ipſius rebus ſecundis ita ſenſiſſe arguunt: & q Satyricus poeta, qui iniquitatem temporum perſtrinxit pari libertate, ſpectauit idem, hoc præcepto;

P *Dio. hiſt. Rom. lib. 43.*

q *Iuuenal. Satyr. 1.*

Aude aliquid breuibus Gyaris & carcere dignum,
Si vis eſſe aliquis. Probitas laudatur, & alget. Quid

Quid igitur? Num idcircò probitatis ſtudium, quòniam, vtcunq; laudetur; tamen alget, atq; adeò congelat, conglaciatque, deſeremus? Aut cupiditatibus fræna laxabimus, quia pœna ſæpe proponitur benefactis, malefactis regnum? Immò verò tanti eſt virtus, tanti, vt quamuis vniuerſus orbis terrarum in noſtrum exitium præſentiſſimum conſpiret, cruciamentaq; intentet tetriora quàm vllus vnquam *Phaleris*: tamen *vinci cum Pompeio, quàm cum Cæſare vincere*, id eſt, cum bonis opprimi, quàm dominari cum improbis, *malle* debeamus. Nam quamuis ſententiam eam retractâſſe videatur [r] *M. Tullius*: non retractauit. Quin eandem ſibi ſemper eſſe mentem oſtendit, quoad vixit, fouendis, iuuandis partibus optimatum: & in ipſâ morte, quam propterea pertulit, ita ſe geſſit, tanquam illud menti inſculpſiſſet penitùs, quod manu ſpriùs ſcripſerat, *Non ego dolorem dolorem eſſe nego: cur enim fortitudo deſideraretur? Sed eum opprimi dico patientiâ, ſi modò eſt aliqua patientia: ſin nulla eſt, quid exornamus philoſophiam? Aut quid eius nomine glorioſi ſumus?*

[r] *Epiſt. ad Att. l. 8 ep. 7*

[ſ] *Tuſcul. quæſt. lib. 3.*

Pungit dolor; vel fodiat sanè. Si nudus es, da iugulum: sin tectus, Vulcanijs armis, id est fortitudine, resiste. Cuius eximiæ magnanimitatis si ille tam illustre specimen exhibuit, cui naturæ solùm lumen præluxit; quo nos tandem animo esse oportet, quibus longè clarior lux affulsit gratiæ? quãtò magis ad heroicam animi celsitatem ijsdem facibus inflammari? Non ego dolorem è conuitijs, contumelijs, iniurijs acceptum, dolorem esse nego: cur enim patientia desideraretur? Sed eum oppimi dico pietate, si modò est aliqua pietas in nobis? sin nulla est, quid profitemur religionem? aut quid Christianorum nomine gloriamur? Pungit dolor; vel fodiat sanè. Si inermis es; cede, manum tolle: sin armaturâ cœlesti communitus, id est, Christi verbo, & fide; resiste. Atque hæc & alia hoc genus monita, quæ à diuinis veræ sanctitatis & sapientiæ magistris ad perseuerantiam virtutis accendendam adhiberi solenne, debent esse nobis in intimos sensus, quasi adamantino stylo, incisa: vt eorum fructus vitâ proferamus, non modò flores linguâ; nec philosophari, & scire tantùm

fortia,

fortia, sed etiam in aciem descendere, & facere, neruis omnibus enitamur. Quid enim indignius quàm profanum vulgus homines *Ethnicos*, imò *Ethnicorum* penè mollissimos, non fortissimos quidem certè, poetas, ita fuisse affectos, vt [t] *sitim, serpentes, ardores arenæ Libycæ, dulcia virtuti* esse iudicarent, [u] *iustumq; & tenacem propositi virum, etiamsi fractus illaberetur orbis, impauidem* statuerent, & [x] *fortem animum* eum definirent, *qui sæuos labores ærumnasque Herculis potiores duceret Sardanapali venere, & cœnis, & plumis*: nos autem qui ad sacra sanctissimæ religionis mysteria admissi, & in augustissima Dei tanquam adyta introducti sumus, tantò infirmiùs (finite quæso fratres, vt dicam quæ sentio, non exulcerandi cuiusquam vestrûm causâ, sed mei vnà vobiscum ad officium excitandi) tantò inquam lentiùs atq; infirmiùs animatos esse, vt ipsa mihi virtus, si, quemadmodum *Herculem* alloquuta fingitur, nos affari posset, eorum autoritate nostrum languorum castigatura videatur. Vosne, iuuenes, quum tam inuictam animi constantiam, patientiam, fortitudinem, ab *Ethnicis*,

t *Lucan. l. 6.*

u *Horat. car. lib. 3. od. 3.*

x *Iuuenal. Satyr. 10.*

non philosophis modò, sed & poetis, quos [y] *Plato* eduxit ex eâ ciuitate quam optimis moribus imbui volebat, laudari, præscribi, præcipi, edocti sitis: ita enerui & excordes eritis, vt, si fortè dicto aut facto attingamini, muliebri more ingemiscatis? Non viriliter tolerabitis? Non sedatè perferetis? Acerbum est probris & maledictis figi, rideri, scurriliter, iniuriosè vexari. Audio. *Achilles* [z] *Homericus* præsentem mortem non recusat, modò trucidatum amicum vlciscatur. *Æneas* [a] *Virgilianus* nullis exilijs, naufragijs, bellis, ne inferorum quidem conspectu perterretur, dum sedes quærit in Latio. Quid de peruagatâ ambitione hominum, de auaritiâ, de luxuria, de potentiæ, dignitatis, deliciarum, opum, quarumuis deniq; rerum vtilium, & iucundarum, cupiditatibus commemorem? Quæ flamma est, per quam non currant, vt suam in istis expleant libidinem? Vt nescio quid lucelli faciant, pascanturue fumo inanis gloriolæ, aut citò pœnitendam voluptatulam liguriant? Vos, vt honesta, perennia, solida, summa bona consequamini; vt animos excolatis virtute,

y *De rep. l. 3.*

z *Iliad. 6.*

a *Æne. l. 1.*

virtute, & sapientiâ, quibus omnes illæcebræ, honores, diuitiæ, commoditates, suauitates omnes si comparentur, nugæ, fæces, sordes sunt existimandæ: leuissimum æstum ad tempus exiguum ferre grauabimini? Aut si non leuissima vobis videbuntur quæ ferenda erunt, si ne leuia quidem, si planè grauia, & dura: tamen ne præclarissima illa diuinaq; ornamenta, firmamenta, ad felicitatem per res secundas & aduersas certò perducentia, indigna iudicabitis, quæ, non dico tanti, sed vel longè pluris; non sudore, sed sanguine, & vitâ ematis? Non recordamini magnificum fœminæ responsum in b tragœdiâ:

b *Sen. Her. furent.*

Non est ad astra mollis è terris via?

c *Teren. Heauton.*

Non sei ui è c comœdiâ hominis nequam; & ad causam ipso dignam accommodatum, sed verè dictum reminiscemini:

Non fit sine periculo facinus magnum & memorabile?

Non abiectissimorum è vulgo firmitudinem, qui se torqueri fe nunt & aduri, & secari, vt corpus ipsis sanum sit, considerabitis? Non oculos habebitis generosi tatem & robur

bur monocerotis : quem interimi posse, capi non posse [d] ferunt ? Nihil vos artium optimarum studia, quæ in mores abeunt, nihil eminentium scriptorum præcepta, nihil exempla illustrium heroûm, nihil splendor præmiorum, nihil fructuum magnitudo, nihil ærumnarum, si minùs leuitas, saltem breuitas, nihil instituta cunctorum mortalium, nihil impetus ferarum, & pecudum excitabunt ? Magisne monocerotem libertatis amor, quàm vos honestatis; vulgus sanitas corporum, quàm vos animorum; *Achillem* iracundia; quàm vos disciplina; *Æneam* spes terreni, quàm vos cœlestis, regni; quascunq; demùm animantes aut natura, aut ratio, quàm vos emendatrix naturæ doctrina, rationis religio; vt dolorem, vt ægritudinem, atque adeò vt mortem ipsam despiciant, mouebit ? Ecce conuicia, calumniasq; verborum, quæ cor ingenuum lacerant; ecce contumelias, non dictorum modò, sed etiam factorum, quæ fodicantibus vrunt stimulis ; ecce cruciatus, tormenta, carnifices. *Nunc vnimis opus Æneæ, nunc pectore firmo.* Nihil præclarum non idem arduum.

[d] *Plin. hist. Nat. l. 8. c. 21. Solin. poli. hist. cap. 65.*

Messis

Messis agricolis proposita est pro mercede; sed ita, si prius seuerint: corona certantibus; sed vbi vicerint aduersarios: triumphus militibus, sed postquã hostes debellârint. Quæ meditamini diligenter, obsecro, dies noctésque, iuuenes lectissimi: vt semente factâ bonitatis, metatis messem; decursoq; stadio industriæ, coronemini; & triumphetis, profligatis hostibus; id est, vt confecto nobilissimorum studiorum curriculo, nullis aut supplantantium aut manu depellentium conatibus impediti, scientiâ sapientes, integritate sancti, constantiâ fortes & inuicti, in æternæ beatitudinis portum appellatis.

Dixi.

ORA-

ORATIO FVNEBRIS HABITA IN TEMPLO BEATÆ MARIÆ *Oxon.*

Ab ISAACO WARE.

Publico Academiæ Oratore,

Maij 25. *Anno* 1607. quum mœsti Oxonienses, pijs manibus IOANNIS RAINOLDI *parentarent.*

LONDINI

Excudebat Guil. Stansbeius.

1628.

ORATIO FVNEBRIS HABITA IN TEMPLO beatæ MARIÆ *Oxon.*

QVàm fragilis sit, & incerta humanæ vitæ cõditio, quàm somno aut fabulæ similis, vtinam (Viri Ornatissimi & mœsti vndequaque Academici) modò superi voluissent, aliundè potiùs, quàm ex præsenti spectaculo disceremus. Scilicèt senescentis quidem mundi, & ad occasum iam præcipitantis, satis multa superq; vidimus indicia: Intemperiem cœli, malignitatem stellarum, ventorum turbines, nubium Cataclysmos, maris furores non ante cognitos; quæ dira omnia, pias mentes, horrore ruentis cœli, & expirantis Naturæ perterrefaciunt. At *Musas* tamen æternas, & reliquis labentibus omnibus, *Artes* immortales fore, nescio quomodo nobis ipsis adblandientes, facilè

silè credidimus; donec magnus hic literarum *Atlas*, quocum literæ ipsæ sanctiores nutare certè videntur, si non occumbere, suo nos fato docuit, spem etiam illam vanam & inanem esse. Cuius sortem beatam, pietate & moribus dignam suauissimis, absit, vt flebilibus quisquam deploret nenijs, cum nihil sit quod illi vlteriùs optare vel auidissimus possit, nisi illam *Virginij Rufi* felicitatem, cui, tanquam cumulus accessit in funere laudator *Cornelius Tacitus*. Mihi verò (*Academici*) vestram hanc intuenti, aliàs gratam & iucundam, nunc autem, pro occasionis ratione, flebilem & tristem frequentiam, ita in mentem veniunt illæ Regiæ *Xerxis* lacrymæ, quas ad conspectum exercitus numerosi fudit, vt non possim quin intimis suspirem præcordijs, cum in præsenti speculo, mortalitatis etiam vestræ videam imaginem. Quis enim est, qui doctrinæ, sapientiæ, virtutis fiduciâ, spem vitæ in longinquum extendere ausit, cum difficiles Parcæ, & non exoranda numina, hunc tantum Orthodoxæ fidei Herculem, & Christianæ religionis Propugnatorem, nec matris

Aca-

demiæ lacrymis, nec lugentis Eccle-
siæ importunis precibus voluërint
condonare? Certè si inæstimabile
illæ mentis opes & non interitura
animi diuitiæ, ad Corporis etiam
firmitatem & vigorem aliquid face-
re, aut quomodocunque deriuari
potuissent, vixisses, *Rainolde*; nec
tam ex voto tuo, qui cœlum volüisti,
quàm ex nostro, qui te; vixisses ita,
vt nunquam morereris, senescere,
ægrotares. Atqui magno humani
generis dispendio, contrariâ ferè
ratione vsu venire solet, vt quò mag-
nificentiùs quis, & illustriùs diui-
nis literarum & sapientiæ ornamen-
tis animum excoluerit, eò citiùs, a-
deóq; etiam festinantiùs, & mens
ipsa terrestris pertæsa domicilij, sub-
limiora cogitet, & corpus itidem,
omni iam spiritu in nobili illo, sed
tamen laborioso studiorum opere,
exhausto planè & absumpto fatiscat,
ac deficiat. Quæ nimirùm res in cau-
sa fuit, vt tu, *Rainolde*, tot secundis
prælijs literarum omnium victor &
triumphator, accisis tamen corpore-
is viribus, exhalares glorioſam ani-
mam, nosque in luctu & orbitate mœ-
rore confectos destitueres. Quid au-

tem

m? Non te labentem tua plurima
etas, non virtus, non ſanctitas, &
uditio ad miraculum ingens ſeruа-
potuit? Scilicèt an quia nihil e-
t quod vltra diſceres, ideò vlteri-
ne viuere voluiſti? An non dig-
s inter cæteros *Ficinus*, quem ali-
ando evolueres, qui de ſanitate
endâ, & vitâ in æternum proro-
ndâ diſſerit? Satis vixiſti tibi ipſi;
to: ſatis gloriæ tuæ, cui tamen ſu-
eruiuere non potuiſſes: At non
eipub. ſatis, quæ probitatis & vir-
tum omnium exemplar in te poſi-
m deſiderat; Non Academiæ, quæ
uditionis iam extinctum requirit
men; Non deniq; communi Religi-
nis cauſæ, quæ te orbata Duce, in
nedio procelloſi maris non ſine nau-
ragij periculo fluctuat. Equidem
uòd alter fortiorq; *Cocles* ingruen-
es hoſtium infenſiſſimorum cater-
as princeps repulſiſti; quòd exciſo,
ui inſtiteras, ponte ſublicio; tamen
aluo ſcuto deſiluiſti, rem abs te pre-
lariſſimè geſtam nemo negauerit;
eieciſti ſiquidem perduelles; at verò
ondum ſoluta eſt obſidio; eſto enim
quòd Romanam *Idolomaniam* detra-
ctâ laruâ, Dei hominumq; odio ex-
poſuiſti;

posuisti; quòd iugulum *Antichristiani* monstri incepisti petere; quòd per *Harti* latera ipsum *Cor* Papismi transfixicti. At *Sanderus* tamen adhuc intactus, nisi quòd Dei vindicem dextram, in montibus Hiberniis erro profugus expertus est; *Bellarminus* non satis fractus; *Baronius* nec omnes detectæ fraudes; vt taceam noua, quæ huic Hydræ quotidie repullulant, capita. His tantis in negotijs quomodo vacabat tibi mori? Cum tam ingens messis & operarij sint tam pauci? Tui similes tam nulli? Cum vndique superstitio instar maris nostri *Virginij* nouis exundet fluctibus?

Est ista lamentantis *Ecclesiæ* lugubris vox, quam ex acerbissimi doloris sensu tam flebiliter sonat, ac si ipsa etiam cum *Rainoldo* animam egisse videretur. At matris *Academiæ* mœstiorem adhuc vultum, & tristiorem faciem (si tristior cogitari possit) quis demùm *Timanthes* exprimendo erit?

Huc veniunt lacrymæ, Niobe quibus obruta mater.

Nihil hæc nisi *Rainoldum* cogitat, *Rainoldum* videt, *Rainoldum* vanis ima-

naginibus audit, alloquitur, tenet.
t certè (*Academici*) licet feliciſſimæ
uic noſtræ parenti tanta ſit præſen-
hoc ſeculo, tamq; numeroſa do-
iſſimorum virorum ſoboles, vt ſuam
bi potiùs gratulari fæcunditatem,
uàm præſentem debuerit orbita-
m lugere, eamq; Matris *Braſidæ*
ocem nunc certè, ſi vnquam, vſur-
are, *vir bonus eſt Braſidas & fortis,*
d habet multos Sparta ſimiles: non
oſſum tamen, quin eiuſdem pijs la-
rymis, & iuſto huic dolori veniam
acilem concedam, cum cogitem *Rai-*
oldum amiſiſſe, qui (abſit dicto inui-
ia) reliquis ſuis filijs tantùm præ-
uxit, linguarum diuerſiſſimarum ex-
ellenti peritiâ, & artium ſcientia-
umq; omnium perfectâ panopliâ, vt
upra humani ingenij faſtigium poſi-
us videretur, natuſq; in quo omnes
Muſæ ſuas omnes vires experiren-
tur. Nemini (*Auditores*) detraho,
dum debita *Rainoldo* perſoluo; nec
huius iuſtis, ſcio, laudibus inuide-
bunt vel patres reuerendi, qui domi
hanc noſtram Oxoniam ſuâ exor-
nant grauitate, doctrinâ, pietate;
vel illuſtriſſimi illi pietatis & litera-
rum *Antiſtites*, qui ad clauum Eccle-

ſiæ

siæ adsidentes, prudentiæ, sanctit
tis, & eruditionis stupenda specim
na vniuerso orbi exhibent Christi
no. Quibus maximis *Academiæ*
Ecclesiæ luminibus, si quis *Rainoldu*
hunc nostrum tantò meritis min
remiudicet, quantò publicâ dign
tate, & forensi minùs resplendu
fulgore, recognoscat is velim illu
Augustini, Episcoporum maximi, d
Diuo Hieronymo eulogium; *Quantum*
uis Episcopus Presbytero superior, a
Hieronymus tamen Presbyter etia
Augustino Episcopo maior: & vt alij i
hoc nostro mirentur scientiam, hu
militatem, abstinentiam incredibi
lem, quæ omnia in illo (fides numi
num!) plus quàm mira fuerunt: e
go tamen hoc vnum stupeo, mira
borq; semper, gloriam illum & hono
rem calcare potuisse. De quo tamet
si illud non dixero, quod de *Luther*
Illiricus & *Wigandus*, quem *Germani*
cum Prophetam appellârunt: tamen
cum nihil sit vel in *Lutheri*, vel *Cal*
uini, vel *Bezæ*, aut *Whitakeri* laudi
bus, quod non suo merito sibi ipsi
Rainoldus vendicet; gratulabor ego
quidem huic nostræ Patriæ quòd e
duxerit, matri *Academiæ* quòd edu
cauerit,

auerit, & feraciſſimo illi bonorum ingeniorum *Collegio*, quòd lactauerit *Rainoldum*, quem (vt cum domeſticis ſuis illum comparem) virtutis, pietatis, & eruditionis commendatio ſupra ipſum *Iuellum*, *Wottonem*, *Viuem*, *Hookerum* eleuauit, ſupraq; *Polum*.

Eat autem [a] *Weſtonus* impurus & impudicus rabula; eructet quæ volet conuitia; dicat ingenij tarditatem; dicat ſimulatos *Rainoldi* morbos: plumbei ſcilicet fuimus (*Academici*) qui tam hebetis ingenium ſuſpeximus: deliri, qui ægrotâſſe credidimus, quem (proh dolor) mortuum videmus. Quanquam nec *Weſtonus* ipſe [b] *Patrui* ſui, quem ita iactat, & [c] morum, & fugæ turpitudine ſimilis, cum Principes Academiæ noſtræ ita laceſſeret, vt etiam qui matrimonium contraxiſſent, quaſi ſceleratos homines nominatim perſtringeret, habuit vel vnum aliquod factum, quod in omni vitâ ſanctiſſimi huius viri reprehenderet.

At ille longiùs aberat: quid qui ſteterunt propiùs? Amârunt omnes hominem, amârunt mores & integritatem. Quòd ſi obſtinata ſeueritas, &

a Weſtonus in ſcurrili *Præfatione ad libros de Triplici hominis officio.*

b Doctoris *Weſtoni*, qui è Collegio hîc noſtro Lincoln. propter infamem libidinem expulſus.

c Nam & eiuſdem nefandi flagitij *Duacenſis* hic etiam *Profeſſor* reus, (ni fama ſemper mendax) deprehenditur.

& inuictus aduersus gratiam animus ei vitio verti poterant; aut si quid aliud (quid autem potuit?) sed si quid potuisset in eo improbari; nz crimen illud honestum citiùs, quàm *Rainoldus* turpis efficeretur. Sed ille nunc feliciter agit inter Angelos: nos verò qui magnos optimi sapientissimiq; viri manes veneramur, beatam tum demùm *Oxoniam* pronuntiare non dubitabimus, quando parem similemq; in huius locum surrogauerit. Habeamus enim, quos summa eloquentia, infinita lectio, sublimitas ingenij, iudicij grauitas, virtus, humanitas, candor, eaque omnia scriptis egregiè monumentis, quam maximè commendent, *Rainoldum* certè non habebimus. At quid ipsum loquor? Cuius tanti viri, iam nunc sepulchrum, heu tantillis inhiat reliquijs, quas hodiè postremùm cernimus, salutamus, valere iubemus,

Posterrumum (inquam) *& postea non vnquam amplius.*

Mihi verò vt (quod vnicum restat) efferri iubeam,

--Non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, nec vox, nec verba sequuntur.

Ita-

Itaque; Sophoclea mutuabor

—ageſis, quiſquis amicus
Adeshic præſens, propera, curre,
Impende viro ſummo officium.
Ac uemo quidem, queis loquor, horum
Rainoldo fuit melior vir.

E Ioan-

Joannis Rainoldi

OLIM GRÆCÆ LINGVÆ PRÆLECTORIS IN COLLEGIO CORPORIS CHRISTI apud OXONIENSES Orationes Quinque.

LONDINI
Excudebat Guil. Stansbeius.
1628.

ORNATISSIMO V. D.
GEORGIO SVMMASTERO,
Aulæ Lateportensis Præfecto,
HENRICVS IACK-
SONVS S.

CVm D. *Rainoldi*, viri optimi, orationes, quas ille iuuenis habuit, ad prelum Typographus efflagitaret, lubenter quidem eius voto fum obsequutus, & quòd viderem mihi oblatam occasionem meum in te, *Vir Ornatissime*, animum declarandi, & iuuenes, ad pietatis & doctrinæ studia his incendi & formari posse existimarem. Vt enim Academicis, & nobis, qui egregiæ ipsius sanctitatis & pietatis certamina admirati sumus, difficile fuit iudicare, an vir melior vel doctior ille fuerit; ita illi qui orationes hasce serio legerint, hærebunt, opinor, aliquamdiu, an ipsi ex earum lectione doctiores vel meliores euaserint. Mihi quidem persuadeo, ipsos & virtutem

amaturos simul & *Rainoldum*, hominem virtuti similliimum, quod de *Catone* dixit [a] *Velleius*. Etsi verò magna verborum, maior rerum, pietatis autem maxima ratio habenda sit, ita tamen hisce orationibus hæc omnia spirauit vir optimus, vt vix alibi inuenias tantam pietatem coniunctam cum tam casto verborum delectu, & multiplicis doctrinæ varietate. *Ciceronis linguam omnes ferè mirantur*, inquit D. [b] *Augustinus*, *pectus non ita*. In D. *Rainoldo* linguam & dicendi genus ita miramur, vt fateri necesse sit tantam sententiarum optimarum densitatem non aliundè, quàm ex sanctissimo *Bonæ Mentis* Templo manare potuisse. In alijs maiorem verborum copiam, & mortuarum vocum ex *Pacuuio*, *Apuleio*, *Capella* & *Ennio* acceptarum apparatum inuenies, sed qui feliciùs eloquentiæ finem est assequutus, dabis neminem. Cum enim [c] *Dialectica* veritatem intueatur, quà est adæquatio rei intellectæ ad intellectum speculatiuum; *Rhetorica* autem eandem respiciat, prout est adæquatio quædam ad affectum, atque intellectum practicum (libenter enim vtor verbis philosophorum,

a *Lib. 2.*

b *lib. 3. cap. 4. confess.*

c *Gerson lectione. 2. sup. Marc. p 499. part. 1. oper.*

phorum, quorum munus est res ipsas, disciplinasque distinguere) quis, obsecro, negabit autorem nostrum, & in malis animorum libidinumque motibus frangendis, & bonis concitandis fouendisq; plurimum valuisse? Habuerunt Valentiani hæretici, teste[d] *Tertulliano, artificium, quo prius persuaderent quàm docerent*, cum tamen veritas docendo suadeat, non suadendo doceat. Noster verò tam in docendo fœlix, tantâque abundat rerum optimarum affluentiâ, vt auditori veritatem non obtrudere, quasi, sed suauiter infundere videatur. In ipso enim sermone mauult rebus placere quàm verbis, quod in suo doctore requirit insignis eloquentiæ præceptor[e] *Augustinus*; neque existimat *dici melius, nisi quod dicitur verius, cum doctor verbis seruire non debeat, sed verba doctori. Verbis enim contendere, est, non curare quomodo error veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius.* Quare vt in *Rainoldo* effigiem habes opulentiæ *Tullianæ*; ita cum res sacras tradit, Theologorum verbis vtitur, quibus[f] *Ciceronianissimus* Longolius, vel politulus ille Ca-

d *Lib. 1. con. valent.*

e *Lib. 4. c. 28 de doct. Christ.*

f *viu. l. 4. de caus. corrupt. art.*

ſtellio non vteretur. Si poetæ, etiam eum de ſerijs agunt, medio opere fabulentur, ne lectori excidat poetas eſſe illos; an nobis non ſubinde ſuccurret nos eſſe Chriſto aduratos? Laudant ſanctum *Hieronymum* g viri docti, quòd vbique non ſit æquè Latinus, quia nonnunquam ſacrum ſe autorem eſſe meminit, de re ſollicitus magis quàm de verbis. Neq; aliquid magis h ardorem illum S. *Auguſtini*, quo *Ciceronis Hortenſium* complexus eſt, reſtrinxit, quàm quod in eo non erat nomen Chriſti. Quicquid enim ſine hoc nomine fuiſſet, quamuis literatum, & expolitum, & veridicum, non tamen eum totum rapiebat. Quis itaq; vt *Rainoldum* laude dignum cenſet, quòd in humanis ſcientijs tradendis res ſacras miſcere velit, ita non reprehendet Caſtellionem, qui in rebus ſacris profanas verborum nouitates conſectari voluit? Non illi ſcilicèt placuit *Eſaiæ* eloquentiſſimi prophetarum loquutio, cum diceret *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum:* eum ſic loqui vult Caſtellio, cap. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus,* i *Ioua armipotens*; putares eum *Iouem* aut *Mar-*

g *Viu. l. 2 & 3. de trad. diſciplin.*

h *Conf. l. 3. c. 4*

i *Sic & Pſ. 24 Ioua armipotens.*

Martem describere. Hinc ait se[k] *Iosua secundo Esaiam* transtuliſſe; ſic etiam *Mat.*18. cum ait Chriſtus, *Dic Eccleſiæ*, non huic placet vox *Eccleſiæ* Græca, ſed mauult ille ita efferre, *Dic reipublicæ*: & pro eo quod dicitur, *Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei*, Ciceronianus ita loquitur *Genij eorum*. Quoties ludit ſuis *genijs* abſq; omni ingenio, *Pſal.*78. *opera malorum Geniorum*: Pſal.91. *de te ſuis mandabit genijs*: Pſalm.103. *collaudate Iouam eius Genij*: Pſal.148 *laudate Iouam omnes eius Genij*: & Pſalm.35. *agitante Iouæ genio, & perſequente Iouæ genio*. In precationibus ex *Daniele*, pag.250. *prædicate Genij Domini Dominum*; & Luc.1. *apparuit ei Domini Genius*. In animaduerſionibus in Pſalm 68. pag. 302. *Hoc*, inquit, *intelligi non poteſt, eum, qui & illic, & hic Iouа, & Genius*, & [l] *Deus & Dominus appellatur, eſſe Chriſtum?* Quis vnquam Chriſtianorum *Chriſtum* auſus eſt appellare *Genium*? Annon neceſſarium fore putas in ipſius animaduerſiones, animaduerſiones ſcribere? Frigidæ illæ, quas [m] affert, excuſationes apud eos, qui iudicio aliquo valent, nihil valere debent.

k *In præfat. Pſalterij p. edit. Baſil. 1547. form.8.*

l *vid. Caſt. annot. in 3. ca Exod.*

m *Præf. in Pſ. & in anot in 5. l Moſis, & proœmio.*

Quin ipſe dignus pœnis erat, eiſq; grauioribus quas pertulit S. *Hieronymus*, quòd *Ciceronianus* eſſet, vt de ſe Scriptum reliquit vir doctiſſimus in Epiſtolâ ad *Euſtochium* de cuſtodiâ virginitatis. Cuius lectionem ſi cum [n] *Augustino* coniungere *Caſtellio* voluiſſet, næ ille vidiſſet non ſolùm nihil ſacris ſcriptoribus ſapientius, verumetiam nihil eloquentius fuiſſe: & ſi intellexiſſet quod illi loquuntur, ſimul intellexiſſet non eos aliter loqui debuiſſe: hac enim illi eloquentiâ loquuti ſunt, vt nec ipſos deceat alia, nec alios ipſa. Annon itaq; ineptus iſte Rhetorculus, qui linguam ſuam ſacrorum autorum linguæ, non *magnitudine* ſed *tumore*, vt eleganter dixit ille pater, auſus eſt præponere? An non bis miſer, qui exiſtimauit *verborum Hebræorum* [o] *peregrinitatem inutilem eſſe?* Sed vt *Liuy Patauinitatem* [p] Aſinius ille, ita Hebræorum *peregrinitatem* guſtabat *Caſtellio*, quam nos non guſtamus. Non habemus ſcilicèt palatum tam eruditum & exercitatum; profectò non habemus tam inſulſum. Vel illud ſolum ſancti Patris ad hominem refellendum, eſt ſatis, *Cauendum* [q] inquit,

[n] *Lib. 4. c. 6. de doct. Chr.*

[o] *Præm. annot. in 5. lib. Moſi p. 443.*

[p] *Fab. lib. c. 9 & li. 8. cap. 1.*

[q] *Aug. de doct. Chriſt. l. 4 cap. 20.*

eſt

est, ne diuinis grauibusque sententijs, dum additur numerus, fondus detrahatur. Scribit r *Origines* Angelis suauariè assignata esse officia, alijs arborū, alijs herbarum tuendarū, alijs Grāmaticam, alijs Dialecticam, alijs tributam & commendatam fuisse potestatem docendi Rhetoricam. Certè ipse si viueret *Castellio*, quamuis fortè ab *Origine* non omninò dissentiret, non tamen diceret se hanc, quâ vsus est, Rhetoricam accepisse ab *Angelo*, cuius nomen vbique ferè fugit, & quem toties vertit in *Genium*. Credamus itaque eum hanc artem, quâ tactitabat, non hausisse ab intelligentiâ non errante, sed genium quendam malum calamo insedisse. Nolim quispiam existimet aut me verecundiam munditiem culpare, aut D. *Rainoldum* hanc oratorum disciplinam neglexisse, quâ & plurimum efficere potuit & quam vtilissimam esse s docuit contra *Browniastas*, quorum infelix autor t ille, ni fallor, fuit, qui toties in futilissimo scripto, (quid enim aliud ab isthôc hominum genere expectes?) non solùm hanc diuinam scientiam, ipsos etiam deiecit sanctissimos patres, qui excellenti

r *Hom. 23. in Ios. & l. 3. c. 3 περὶ ἀρχῶν*

s *Praelect. in Ep. ad Colos. c. 2. Ver. 8. & in tractat. cont. Iudos sian. p. 125.*

t *R. Browne de reform. sine mora, &c. edit. Middl. 15*

cellenti huius disciplinæ laude floruerunt. Non ego hoc ago; sed queror & ipsam rerum sacrarum venustatem lenocinijs corrumpi, & Rhetoricam omnem ad picturatũ quoddam dicendi genus reuocari. Quid? An vt seculum illud prius *Logicos* alios *Reales*, *Nominales* alios; ita hoc nostrum alios *Nominales Rhetores*, alios *Reales* dabit? Nihil hîc dico de *Osorij* dictione, quam *aqueam* appellat [u] vir eruditus, credo quòd ita verborum copiâ eius oratio effluat, & redundet, quasi eo morbo, quem Latini *aquam intercutem* nuncupant, laboraret. Certè huiusmodi intemperie laborauit *Turnerus*, qui orationes suas verbis selectis anxiè conquisitis ita contexuit, vt & ipse *emendicator* dici possit, eiusque oratio τοῖς ὑπὸ τῶν προσαιτῶν ἐκ διαφόρων ῥακέων συναπτομένοις ἐσθήμασιν, vt eleganter [x] *Theodoritus*, non dissimiles esse videantur. Haud meminit fortassè se virum fuisse, vt de Comatis Anglis ætate *Henrici* primi scribit *Guliel. Malmsburiensis* in *nouellâ historiâ*. Illi enim obliti se viros esse promisso capillo muliebrem sexum ementiti sunt. Non de Turnero solùm,

u *D. Fran. Bacon, lib. 1. de scientiarũ profect. &c. fol. 17.*

x *In præm. dial. edit. gr. Rom. 1547.*

lùm, ſed cæteris huius ſeculi nouis oratoribus verba facio. Qui, ſi incidat res ſublimior, quæ poſtulare videtur, vt Orator aſſurgat, & ardentiùs ſpiret, orationem faciunt illarum[z] virginum ſimilem,

quas matres ſtudent
Demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, vt graciles ſient:
Si qua habitior paulò, pugilem eſſe aiunt, deducunt cibum;
Tametſi bona eſt natura, reddunt curatiuâ iunceas,
Itaque ergo amantur.

z *Terent in Eunuch. act. 2. ſcen. 3 & Auſonius in præf. edil. 4.*

Sunt enim multa in eis fucatiùs concinnata, quàm veriùs, & plus coloris quàm ſucci habent. a Vbi enim

Color verus, corpus ſolidum, & ſucci plenum?

a *Terent. & Auſon. ibid.*

Hinc, ſi in iſtorum orationes incideret analyticus aliquis, qui eas diſcuteret, & exoſſaret quaſi, quid tandem illic inueniret, præter

b *Burras quiſquilias, ineptiaſq;?* b *Auſ. Pucat.*

Adeò illis adulterium etiam linguæ placet. Quamobrem, vt ſcitè *Plinius* non minus interdum oratoris eſſe putat tacere, quàm dicere; ita ſi iſti tacuiſſent, oratores eos fortaſſè aliquis fuiſſe exiſtimaret. Quid verò

cellenti huius disciplinæ laude floruerunt. Non ego hoc ago; sed queror & ipsam rerum sacrarum venustatem lenocinijs corrumpi, & Rhetoricam omnem ad picturatũ quoddam dicendi genus reuocari. Quid? An vt seculum illud prius *Logicos* alios *Reales*, *Nominales* alios; ita hoc nostrum alios *Nominales Rhetores*, alios *Reales* dabit? Nihil hîc dico de *Osorij* dictione, quam *aqueam* appellat [u] vir eruditus, credo quòd ita verborum copiâ eius oratio effluat, & redundet, quasi eo morbo, quem Latini *aquam intercutem* nuncupant, laboraret. Certè huiusmodi intemperie laborauit *Turnerus*, qui orationes suas verbis selectis anxiè conquisitis ita contexuit, vt & ipse *emendicator* dici possit, eiusque orationem τοῖς ὑπὸ τῶν προσαιτῶν ἐκ διαφόρων ῥακέων συναπτομένοις ἐσθήμασιν, vt eleganter [x] *Theodoritus*, non dissimiles esse videantur. Haud meminit fortassè se virum fuisse, vt de Comatis Anglis ætate *Henrici* primi scribit *Guliel. Malmsburiensis* in *nouellâ historiâ*. Illi enim obliti se viros esse promisso capillo muliebrem sexum ementiti sunt. Non de Turnero solùm,

u *D. Fran. Bacon, lib. 1. de scientiarũ profect. &c. fol. 17.*

x *In proœm. dial. edit. gr. Rom. 1547.*

lùm, sed cæteris huius seculi nouis oratoribus verba facio. Qui, si incidat res sublimior, quæ postulare videtur, vt Orator assurgat, & ardentiùs spiret, orationem faciunt illarum[z] virginum similem.

quas matres student
Demissis humeris esse, vincto pectore, vt graciles sient:
Si qua habitior paulò, pugilem esse aiunt, deducunt cibum;
Tametsi bona est natura, reddunt curaturâ iunceas,
Itaque ergo amantur.

Sunt enim multa in eis fucatiùs concinnata, quàm veriùs, & plus coloris quàm succi habent. [a] Vbi enim

Color verus, corpus solidum, & succi plenum?

Hinc, si in istorum orationes incideret analyticus aliquis, qui eas discuteret, & exossaret quasi, quid tandem illic inueniret, præter

[b] *Burras quisquilias, ineptiasq́;?*

Adeò illis adulterium etiam linguæ placet. Quamobrem, vt scitè *Plinius* non minus interdum oratoris esse putat tacere, quàm dicere; ita si isti tacuissent, oratores eos fortassè aliquis fuisse existimaret. Quid verò

Rainoldus?

z *Terent in Eunuch. act. 2. scæn. 3 & Ausonius in præf. edil. 4.*

a *Terent. & Auson. ibid.*

b *Aus. Pacat.*

Rainoldus? Profectò bona tam benè dixit, vt dubites plus ille artis an naturæ habeat. Nam & dictionis acumine facundiam alere poteſt, & præceptis mentem formare ad probitatem. Voluerunt [c] quidam ſua *venuſtula, vt eſſent magis quàm ſcirticula.* Fatetur [d] *Rainoldus* ſe non tam diſerta quàm fortia elucubranda ſibi vnquam propoſuiſſe. Quò impudentiores *Martinius* & *Weſtonus*: hic, quòd *Rainoldi* verba, [e] *non verba, ſed aurium verbera* eſſe dixerit, (ſed hic tradatur piſtrino & aſino.) Ille, quòd *Rainoldum* à nugarum & duriſſimarum elegantiarum affectatione abhorrentem *dulciſſimè vanum* [f] appellauerit, ob [g] vſurpatam elegantiſſimè ſequutionem. Quid? an non ipſe *Martinus* delicatiores paranomaſias conſectatur, cum ex [h] AVGVSTINO huiuſmodi colligit, *diſerti*, & *deſerti*, *periti* & *perituri*, iſta non in *Auguſtino*, ſed ineptiſſimo *Martino* culpamus. Sunt tamen nonnunquam ridicula, vbi eſt affectatio. Quis illa in [i] *Auguſtino* reprehendat, quæ habet multis in locis. Etſi in his ſimiliterue deſinentibus nimium fuiſſe *Auguſtinum* iudicant [k] viri docti,

[c] *Auſt. præf. vtſup.*

[d] *Apol. Theſ. 26.*

[e] *In præf. de hom. off.*

[f] *Detect. hære. verſ. ſcrip. præf. § 14. 15.*

[g] *vid. Apol. Theſ. § 25.*

[h] *Conſ. l. 2. c. 3. l. 7. c. 20.*

[i] *Conſ. l. c. 3. & c. 5. & l. 4. c. 16.*

[k] *Wilſon. vbe. pag. 106*

ti. Habent tamen hæc vsum, locumque suum. Quàm pulchrè *Augustinus* l distinguit *panem Domini* à *pane Domino*? Quam scitè m *Bernardus ait* in Curiâ Romana *malos proficere, bonos deficere*, Episcoposque sui temporis, non *doctores esse*, sed *seductores*; non *pastores*, sed *impostores*; non *prælatos*, sed *Pilatos* Sed si hæc in *Rainoldo* reprehensionem mereantur, licèt elegantissima aptissimaque; quid dicemus de nugis *Baronij* cuiusdam, quas in *vindicijs* contra *Rainoldum* consectatur? Cùm enim n *Rainoldus* exemplo insigni Papistas *Firmo* Manichæo comparat, *Baronius* iste hoc ita in eum retorquet, sed tu, inquit, (*Rainoldum* alloquutus) o *Firme nimium infirme*, & p post, *à cœlo in cænum*. Scilicèt *Martino* Rhetoricam *Rainoldo* æquè ac q *Cresconio* Donatistæ, licuit eandem objicere *Augustino*. Papistis licet ineptè Rhetoricari, & scelerata eloquentiâ licet *Turnero*, r *Casæ*, & s *Hardingo*, ebrietatem, peccatum Sodomiticum, & lupanaria defendere & commendare? Et non licebit *Rainoldo* hoc tam præclaro Dei dono piè & castè vti? Non illi placuisset t Monachus quidam

l *Tract. 59. in Euang. Iohan.*
m *Lib. 4 de consid.*
n *In præf. Thes.*
o *Pag. 12.*
p *Pag. 20.*
q *Aug. cont. Cresc. Grammat. l. 1. c. 2. & 13.*
r *Skid. l. 21.*
s *In confut.*
t *Capel cont. reg. Angl. & in præf. ad lector.*

dam veſter, qui fatetur ſe literis humanioribus operam non nauâſſe, ſed tantum ſolùm curâſſe addiſcere, quantum ſatis ſoret vt intelligeretur. Fortaſſè iſte *Franciſcanus* exiſtimabat literaturam humaniorem repugnare ſuæ profeſſioni, quod tamen Monachus [u] Cretenſis non cõcedet. Ita per *Franciſcanum Scurram*, quod [x] olim accidit; verbis nullis vteremur exceptis *Bangorenſibus*. Habuerunt verò hi Oratores Papiſtici ornamenta quædam, quæ *Raiuoldo* defuiſſe fateor. Optabat *Hardingus* vocem ſibi datam magnæ Oſneenſi campanæ parem, quâ hominum aures circumſonaret. Memini [z] *Fabium* multa præclarè de oratoris voce ſcripſiſſe, qui tamen non libenter audiuiſſet declamantem illâ voce *Hardingum*. Iam denique ſi alteram, quâ *Raiuoldus* in dicendo excellit, virtutem deſpicere velimus, fatebimur eum optimum oratorem extitiſſe. Quanta enim in eius orationibus teſtimoniorum grauitas & pondus? Non ille [a] *feneſtras*, res omnes, & *reculas*, in auxilium vocat imò neque lapidum inſcriptiones, vt abſurdè alter [b] Monachus. Hæc [c] antiquarijs

u *Eudam. in Epiſt. ad Gallum cont. Leichraſſer.*

x *Londineuſ. l. 1. antiq. Acad. Cantab. p. 137.*

z *Lib. 10. c. 3.*

a *campian. rat. 10.*

b *Bell. lib. 4. cap. 12. de Verbo Dei non ſcripto §. Tertia cauſa.*

c *vid. Lond. lib 2. p. 335. de antiquit. Acad. Cant.*

quarijs quibusdam relinquit. Rainoldi itaque orationes, tam insignes cum sint, diem videre volui, & sub tuo nomine, vir ornatissime, & vt viri quem viuum amabas & suspiciebas, & animi mei monumentum aliquod haberes. Illud solum restat vt benignè accipias hoc munusculum ab eo; qui tibi ex animo vitam longam precatur, cum eâ, quam ipse optare velis, coniunctam felicitate. Vale. *Oxoniæ* è *Collegio Corpori Christi* sacro.

MDCXIII. Fest. S. Michael.

ORATIO POST
Festum S. MICHAELIS
1573.

SIquis adsit in hoc conuentu, (Auditores ornatissimi) qui cùm non audiêrit quæ superiùs à nobis *Aristotelis* Rhetoricis sunt explicata, miretur forsitan quid me commoueat, vt qui munus interpretandæ Græcæ linguæ susceperim, de ratione Summi Boni, quod *Aristoteles* proposuit, orationem habeam. Idem, cum accipiat felicitatem, in Rhetoricis ab *Aristotele* propositam iam à nobis explicari, eaque propter vt sciatis in suadendo quid vobis sit sequendum, quis sit finis bonorum, necessariò doceri; causam non improbet; materiam, quam dicendo sim tractaturus, requirat. Cum intellexerit orationem meam in eo consumptam fuisse, vt doceam *Aristotelis* in Summo Bono constituendo sententiam esse falsam, eóq; nobis non defendendam: reprehendo

Rheto. l. 1. c. 5

secum

ſecum, vereor, cogitatione tacita
neum conſilium, quòd adoleſcens
ab Academiæ conſuetudine decli-
nem, & Ariſtotelis auctoritatem di-
endo diminuam. Huic ego poſt-
quam expoſuero, perſuaſum eſſe mi-
i, demandatam docendi prouinci-
m id exigere, vt veras opiniones
antummodò, errores nullius, in au-
toribus explicandis vobis inſtillem:
udicium, ſpero, non condemnabit.
Rogabit rationes quibus impellor,
t à pleriſq; noſtri temporis Ariſto-
elis Interpretibus meam vnius ſen-
entiam ſeiungam. Certè profectò,
i quid ego iudico, qui vulgò teru-
ur Ariſtotelis Interpretes, perpe-
uò quantum poſſunt, ſæpenumerò
pluſquàm debent, in Ariſtotelem
ropendent: & quemadmodum Ro-
nani propter omnia quæ fiebant à
Nerone, etiam ſcelera, quaſi gratias
gentes ſacra faciebant; ſimiliter ip-
i, omnia quæ dicuntur ab *Ariſtotele*
etiam falſa, tanquam approbantes
audibus proſequuntur. Itaq; veri-
atis percipiendæ ſtudioſus, cùm eos
uoluerem, qui minùs Ariſtoteli mā-
cipati videbantur, varijs ſimiliſſimiſ-
que rationibus in eam ſententiam
ſum

sum adductus, vt, Aristotelem e
râsse magnoperè, censerem; &
rorem defendere, periculosum p
tarem. Nec enim vt cauillari sole
malitiosi, solum a *Viuem* & b *Mart*
rem auctores sequor, quorum tam
auctoritatem, vti debeo, magni
cio; sed vt alios omittam, qui tract
runt ista, præter *Viuem* & *Martyr*
Aristotelis felicitatem & nuper cu
c *Talæus* tùm d *Foxius* ex instit
doctissimè refutârunt; & olim illi v
teres, homines præstantissimi,
improbârunt, vt e *Gregorius Na*
anzenus abiectam & sordidam; f *E*
sebius immanem & falsam; g *Ambr*
sius, h *Augustinus*, i *Origenes*, k *Lact*
tius, l *Gregorius Nyssenus*, partim in
eptam, omnes à veritate & pieta
dissidentem, esse testificentur. Qu
rum auctoritas eum ad auctoritate
m Christi accedat, quæ sola, sine o
nibus, instar omnium esse debet: n
mo miretur, si cum tantis ac talibu
vera sentire; quàm, cum *Aristotel*
errare maluerim. Esset quidem v
hementer optandum, idem senten
tiæ meæ fundamentum in vest
animis æquè iaceretur, atque v
ratio vel religio flagitat: & mihi m

Iesti

a *De causis corruptarum artium l. 6. & de veritate fidei Christ. l. 1. cap. 5.*
b *Comment. in Ethic. Arist.*
c *In explic. l. Eth. Arist.*
d *Eth philosoph. compendii. lib. 1. c. 3.*
e *Epist. ad Philagrium.*
f *De præpar. Evang. lib. 15. cap. 2.*
g *Offic. l. 2. c. 2*
h *Epist. 56. ad Diosc.*
i *Cont. Celsum lib. 6.*
k *Dixi in fii. lib. 3. c. 8.*
l *citatur à vive. lib. 6. de causis corrupt. art.*
m *Mat. 5. 3. Luke 6. 20.*

stiæ minus dicendo, & vobis fasti-
minus audiendo, quæ tam place-
debent, quàm displicere solent,
orcrearetur. Sed quoniam inuete-
a vobis insidet opinio, sententiam
Aristotelis tantis Interpretum studijs
sensam non posse labefactari: non
stulo, vt eam continuò deponatis,
tantis ab auroribus oppugnari
etis; tantùm ne condemnetis per-
aci præiudicio, quæ contrà verè
untur, postulo. Fatebuntur qui-
n, puto, qui non nimis contuma-
er *Aristoteli* sunt addicti, esse tan-
um aliquod auctoritatum pondus?
ùm negabunt Aristotelis senten-
m, rationibus, ex suis ipsius prin-
ijs, posse refutari. Non querar,
periniquè mecum agere, qui
trouersiam ex ijs principijs de-
i volunt, quæ falsò constituta,
am, quam reprehendo, senten-
n pepererunt: cum *Aristoteles*
præsertim, quorum philosopho-
n oppugnat sententias, vt in Pla-
is Ideis cernimus, eorum inpri-
principia labefactet. Verùm
ipiam istam conditionem, vt
istotelem errâsse, ex *Aristotelis*
acipijs manifestum faciam. Sed

quo-

quoniam in præsenti sunt alia, qu
magis vrgeant; vt ea tractatio com
modiori tempori bonâ vestrâ cu
veniâ reseruetur, peto. Nam quem
admodum agricolæ cùm agros d
mêtis & senticêtis obsitos aratro st
tuunt proscindere, primùm dilige
ter sentibus terram purgant, qu
pòst commodiùs sementem facian
ita priusquam in animis vestris ve
de summo bono sententia iaciat
quædam distinctiones, quæ tanqu
vepres illos occupârunt, sunt e
purgandæ; quò semen veritatis
capiatur faciliùs & fructuosiùs en
catur. Exortum est enim proxim
istis seculis hominum quoddam g
nus, ignotum priscis, inuisum doc
qui non vt eruant latentem veri
tem, sed vt præiudicatam opi
onem teneant, disputando digla
antes, absurdas opiniones, etia
firmissimis rationibus infringant
tamen absurdissimis quibusdam
stinctionibus, defendere videri
lunt imperitis, re ipsâ deriden
sapientibus propinant. Callico q
n. In Odyss. 10 dam (vt refert n *Eustathius*) ho
non nimis sapiens, cum esset dom
turus, loco puluinaris æneam ol

cap

capiti subiecit : ceruical duriusculum, sed aptum, credo, capiti. Verùm tandem experrectus atq; duritiâ ceruicalis offensus, impleuit ollam paleis, quò molliùs cubaret. Olla quidem ænea nihilo fuit mollior: sed satis erat Calliconi; persuasit sibi fatuus eam esse molliorem. In eundem modum, cum animis nostris quietem quærimus, supponunt ex *Aristotele* philosophastri quidam plumbeam beatitudinem; quam cum duram esse querimur, implent paleis distinctinum; & sibi forsitan persuadent eam esse molliorem, sed est reipsâ nihilominùs plumbea beatitudo. Quorum imperitia videtur eò magis esse reprehendenda, quòd *Aristotelis* dependendi peruerso quodam studio, diffidentes aliorum philosophorum sententias *Aristotelis* iudicio reconciliare ita moliuntur; vt quem admodum Proteus, modò lapis, modò truncus, modò ignis, modò aqua,

Omnia transformat sese in miracula rerum;

Sic ipsi modò *Stoici*, modò *Epicurei*, modò *Platonici*, modò *Cyrenaici*, & tamen toti Peripatetici, & nihil, & omnia esse velle videantur. Irridet

Cicero

o De Leg. l. 1 ° *Cicero L. Gellium*; qui cum proconsul in Græciam veniſſet, Athenis philoſophos in vnum locum conuocauit eoſq; vehementer eſt adhortatus, vt ſuis aliquando controuerſijs finem facerent; ſi nollent ætatem in litibus conterere, ſe daturum operam, vt inter eos conueniret. Sed nonnè ſunt Diſtinctionarij *L. Gellio* non ſimillimi? Philoſophorum ſententias diſſentire vident. Quid tum poſtea? Homines miſericordes eos in concordiam æquis conditionibus reducere conantur. Illud quoniam ab imperito factum eſt, videtur magis irridendum. Hoc quia faciunt *Ariſtotelem* Interpretem, num eſt probandum? Quòd ſi veteres illi Philoſophi reuiuiſcerent, ſi *Plato*, ſi *Ariſtoteles*, ſi *M. Tullius* audirent, quemadmodum opiniones, quas ipſi putabant repugnantes, ab iſtis inter ſeſe concilientur; riſus, an ſtomachus illis commoueretur, ſanè ſubdubito. Sed excitemus, ſi vultis, aliquẽ è Diſtinctionarijs, qui ſuã apud illos cauſam agat. Quem tandẽ? *Buridanum*, aut *Bricottum*? non intelligeretis, ſcio, ſi loquerentur. Quem igitur? Quem? *Donatum Acciaiolum Florentinum*,

tinum, & facundiorem reliquis & vobis familiariorem: qui si existeret, & philosophos videret, cum Cicerone assistentes, in hunc modum fortasse secum verba faceret: Cur tumultuamini philosophi? Cur varijs opinionibus de Summo Bono litigatis? An non perspicitis ea, quæ tantis contentionibus agitatis quasi repugnantia, posse distinguendo facilè conciliari? An quicquam a vobis de Felicitate, de Summo bono scriptum est, quod etsi dissentiat a sententijs aliorum, non tamen *in suo genere* verum esse videatur? Te minùs miror *M. Tulli*, non perspexisse quid sentirent philosophi; quia cares distinctionibus. Noli offendi: distinctionibus, dico, cares. Nam quorsùm alioqui tuis libris *de finibus*, in *primo* voluptatem, ex Epicuro; in *tertio* honestatem, è Zenone; in *quinto*, complectionem bonorum, ex Aristotele, Summum Bonum esse docueris? cur, inquam alioqui, primam in secundo, secundam in quarto sententiam refutares? Non intelligis distinctiones: quemadmodum ista omnia *in suo genere* sint Summa Bona? Epicurus statuit summum bo-

num voluptatem; agit de felicitate carnali. Zeno, virtutem; agit de felicitate simplici. Aristoteles bona coniuncta; agit de felicitate aggregatâ. Cur inanem sumis operam. M. Cicero, in Zenonis & Epicuri sententijs refutandis? cum vnicâ distinctione tam commodè defendi possint. Te verò, Aristoteles, quem vt Phisophorum Deum admiror, quid erat opus p Platonis Ideam ita calumniari, & illius sententiam verbis inuertere, vt ipsi q fidelissimi tui Interpretes te deserere cogantur? *Huic vni forsâ poteras succübere culpæ.* Sed vbi est acumen tuum? An putas, nisi Plato resutetur, opinionem tuam veram esse non posse? Toto eras cœlo. Nam & ego viuus docui, & tuus r Zuingerus, me mortuo, scripsit; vtrumq; vestrum, & te, & Platonem, veritatem attingere: nam illius beatitudinem esse diuinam; tuam beatitudinem esse humanam; tuam in hac vitâ; illius post hanc vitam. Quid quòd & alios qui à te dissentiunt, & te qui à teipso dissidere videris, distinctionibus ita conciliamus, vt nihil appareat omninò cõtrouersiæ? Docet s Eusebius Christianos

p *Ethic. l. 1. cap. 5.*

q *Simplicius Themistius, Eustratius.*

r *In Arist. lib. 1. cap. 12. Ethic.*

s *De Præpar. Euang. l. 15. cap. 2.*

anos ſtatuere felicitatem in cognitione & cultu Dei. Hoc ſi negaremus, haberemur impij: ergo in tuam gratiam diſtinguimus. Illa eſt felicitas cœleſtis; tua eſt felicitas ciuilis: illa ſecundum veritatem theologicam; tua ſecundum veritatem Philoſophicam. Statuit [t] Herillus ſummum bonum, bonum in ſcientiâ, Hæc eſt hominis felicitas quoad conſiſtit ex animo tantùm; tua quoad conſiſtit ex corpore & animo. [u] Stoici in virtute & honeſtate ſolâ. Hæc eſt etiam felicitas actiua: ſed tua eſt felicitas actiua & ciuilis. Iam verò tu ipſe videris aliquando [x] bona externa, partes neceſſarias beatitudinis; [y] aliquandò non partes ſed ornamenta ſtatuere. Hîc medicinam facimus, felicitate ſimplici & felicitate aggregatâ. *Priamus* non eſt beatus in miſerijs; non eſt beatus felicitate *aggregatâ*. *Priamus* eſt beatus in miſerijs; eſt beatus *felicitate ſimplici*. Reſtat tantùm vna moleſtia, quod [z] libro primo, viris agentibus; contrà, [a] decimo, Philoſophis contemplantibus beatam vitam adjudicas. Decidimus controuerſiam; non amamus contentiones: vtriſq; tribuimus,

t *Cic. Acad. quæſt. lib. 4.*

u *Cic. 3. de finib.*

x *Ethic. lib. 1. c. 11. & Rhet. lib. 1. cap. 5.*

y *Ethic. lib. 1. cap. 10.*

z *Ethic. l. 1. cap. 7.*

a *Ethic. l. 10. cap. 7.*

illis felicitatem actiuam; istis felicitatem contemplatiuam. Ita vides istas varias, & tuas Aristoteles, & aliorum sententias, *in suo genere* cunctas esse veras. Ista si diceret *Donatus*, quid tandem veteres illos responsuros putatis? Horatius si adesset, ille Stoicus, & Epicureus, & Academicus, & omnia, sibi gratularetur, *Donato* gratias ageret; ijsdem propè verbis, quibus olim *Damasippo*. Satyr. 3. lib. 2.

Dij te Donate deæq;
Rectum ob iudicium donent tonsore; sed vnde
Tam benè distinguis?

Philosophi mirarentur, hominem ineptum non intelligere, distinctiones illas ipsâ definitione summi boni refutari; quod ab omnibus Philosophis vocetur vltimum, vt ad id nimirùm omnia bona referantur, ipsum autem nusquam. Exclamaret M. Cicero, Gotthicas illas belluas, linguâ bardas, naturâ barbaras: Philosophiam cunctam suis sordibus inquinâsse. Ego verò te, *Donate*, non indoctum, vt sæpè; non barbarum, vt semper; sed excordem & delirum ex distinctionibus tuis esse suspicor. Est enim verissimum, etsi fremant

Dunsi,

Dunſi, quod in re nondiſſimili ſcripſi quondam, & iterùm itero; fieri poſſe, vt ex Philoſophorum varijs ſententijs nulla ſit vera; vt autem plures, cùm inter ſe diſſideant, fieri profectò non poſſe. Priùs aquam & ignem inter ſe concilies; quàm ea quæ conaris, verè concilies. Verùm quæ tandē ſunt iſta tempora! qui mores! *De nat. Deorum lib. 2.*

O fortunatā natā me Conſule Romam! Ego veram artem differendi quærebam, & eam referebam ad vſum eloquentiæ: vos monſtra neſcio quæ diſtinctionum, & demonſtrationum, pro verâ dialecticâ iuuenibus obtruditis. Ego naturæ Philoſophiam in animantium, & ſtirpium, & hominis & diuinationis, & Dei ſcientiâ quærebam: vos maximâ ex parte, nihil niſi quædam ſomnia, de Motu, & Tempore, & Infinito, Vacuo, Priuatione, non ad vſum refertis, ſed diſputando diſcerpitis. Ego Philoſophorum de Summo Bono ſententias, varias eſſe docui, falſas confutaui, veriſimilem probaui: vos eas Meduſæis Diſtinctionū prodigijs ita transmutatis, vt ſi cauſas in foro mecum egiſſetis, fuiſſe Clodium, eâdem horâ, & Interamnæ & Romæ, diſtinctionibus

onibus probare voluiſſe videamini. Sed quid ago? Remoueamus Ciceronem & cæteros Philoſophos: nam quid hîc agant? Cum ſi in Scholas veniant, diſtinctionibus ita ſint vexandi, vt ad Epicurei intermundia, non ſcholas artium priſtinarum, ſe veniſſe ſint putaturi? Verum enim verò, diligenter animaduertite Diſtinctiones illas: in ſcholis, ad quadrageſimam, eſſe poſſunt vobis vſui. Felicitas, diuina, humana; ciuilis, cœleſtis; ſimplex, aggregata; actiua, contemplatiua; carnalis, ſpiritualis; in hac vitâ, poſt hanc vitam; quoad hominem conſtantem ex animo & corpore; & quoad hominẽ conſtantẽ ex animo tantùm; Ex animo tantũ? quis ille eſt? Quid? rogitas? Oportet diſcentem credere. Quoad hominem ergo ſimplicem, & quoad hominem mixtũ; Philoſophicâ veritate, Theologicâ veritate; & *in ſuo genere*; diſtinctiones quindecim; numerus perfectiſſimus, conſtans ex pari & impari; notentur. Sed inprimis notetur (*in ſuo genere*) Cùm omnia defecerint, (*in ſuo genere*) nunquam fallet. *M. Varro* docuit eſſe poſſe Philoſophorum opiniones varias, de ſummo bo-

Aug. de Ciu. Dei, lib. 19. cap. 2.

no

no, ducentas octoginta octo. Mirum! ni omnes *in ſuo genere* ſint veræ. Contendunt Rhetores, dicendo perſuadere, an ornatè dicere ſit finis Rhetoricæ. Quid eſt opus controuerſiâ? ſit vterq; finis *in ſuo genere*. Cur ſingulis artibus finem vnum ſtatuimus? Exornare, pronunciare, loqui politè, loqui barbarè, perſuadere, non perſuadere, ſint omnes Rhetoricæ fines *in ſuo genere*. Quid enim Non agere, contemplari, virtus, voluptas, anguſta ſemita, ſpacioſa ſemita, ſunt omnes viuendi fines *in ſuo genere*? Taxantur *Canoniſtæ*, quod Romanum Pontificem, vt olim Romani *Domitianum Cæſarem* Deum appellârint. Si quicquam habuiſſent acuminis, diſtinxiſſent eum, *in ſuo genere*, fuiſſe Deum: Deum homicidam, vt Martem; vel Deum Romanorum, vt Quirinum; vel Deum huius mundi, vt Satanam. An non exiſtimatis medicum allaturum magnã conſolationem homini febricitanti, ſi eum *in ſuo genere* dicat eſſe ſanum? Næ iſti *in ſuo genere* ſunt peracuti dialectici, verùm ſimpliciter litigioſi Sophiſtæ; qui faciunt, vt Autolycus,

Cãdida de nigris & de cãdentibus atra. Ouid. Met. 11.

beata de miseris, & de beatis, misera. Quàm vellem constituti fuissent arbitri inter nos & Papistas in concilio Tridentino! dixissent, opinor, vtramq; religionem *in suo genere* esse veram; illam homini carnali, spirituali nostram. Sed ne quis facetus dicat inimicitias esse mihi cum distinctionibus, ob eam causam distinctiones sunt mihi distinguendæ; vt earum alias doctas & veras, stultas & falsas esse alias statuam. Doctas & veras cùm inter disputandum adhibentur, amplector: stultas & falsas & *in suo genere* & *simpliciter* aspernor. Nolo hîc mihi Distinctionariorum opponatur auctoritas. Nam quod quidam, si neges istas infelices felicitates *in suo genere* esse veras, confugiunt ad illud peruulgatum axiôma, [a] *Oportet discentem credere*; id quorsum afferant, certè non intelligo; nisi fortè sic disputent, *Oportet discentem credere*; ergò *ista felicitates in suo genere sunt veræ*. O mirum acumen! Rem acu tetigistis. Hæccine est *demonstratio*? Demonstratio *propter quid*? An demonstratio *quia*? Non Aristoteles potuisset fortius demonstrare.

[a] *Arist. de repreh. sophist. cap. 1.*

—si Pergama dextrâ
Defendi possent, vnâ hâc defensa fuissent.

Si demonstrationes ita fulminent, cedo:

Hostis habet muros, ruit alto à culmine Troia.

At certè oportet discentem credere; sic enim *Aristoteles*. Et quidem oportet docentem non mentiri: sic etiam *Aristoteles*. Si teneas *Aristotelis* legem in dicendo: in discendo nisi teneam, iniquè tecum agam. Sin autem doces falsa quæ credere non debeam: perimpudenter facis, si postules, vt credam. Si vis credi quæ doces, doceas quæ debes: si non doces quæ debes, non credam quæ doces. Sæpè nocet discentibus docentium auctoritas. Ita *Cicero*. In hominum decretis non placet illud Pythagorêum: *Ipse dixit*. Oportet subditum parêre: etiamnè si malè imperes? Oportet discentem credere: etiamnè si falsa doceas? Stultè credit Neptuno qui bis naufragium fecit. Quamobrem, si me audiant, omittant ista, & ad illud confugiant, firmissimum subsidium, quod in extremis periculis adire solent: eos qui reprehendunt *Aristotelem* non in-

De nat. Deor. lib. 1.

telligere, quid sibi velit *Aristoteles*. *Aristotelem* fortassè præstigiatorem esse putant, qui caliginem ob oculos legentium offundat. Non intelligimus, quid dicat *Aristoteles*? O miserum perfugium! Ita Torquatus apud *Ciceronem*, cum *Epicuri* premeretur opinio, dicit Philosophos non intelligere, quid sibi velit *Epicurus*. *Pythagorei* quidam dicebant cœlos, cum conuertuntur, mirabilem sine dubio facere concentum, sed homines non audire. Sic *Democritus*, credo, subtiles suas atomos per vniuersam mũdi machinam esse dissipatas: sed omnes non perspicere. Quid? potuerunt *Aristotelis* satellites intelligere? nos non poterimus? Ad *Hieropolim Asiæ*, speluncam esse quandam tradit *Dio*, cuius halitum animantia reliqua ferre nequeant, soli castrati homines ferre possint. Estnè stylus *Aristotelis* huic speluncæ similis, cuius odorem cæteri non sustineant, eunuchi soli, qui virili iudicij libertate priuantur, & mancipantur *Aristoteli*, ferre valeant? sic est profectò. Nisi fortè sint similes *Horatiano* phrenetico, qui cum postridiè ludorum publicorum, solus in theatro vehementer ap-

De finib. l. 2.

Dio in vit. epi. in Traiano.

Epist. lib. 2. ep. 2.

applauderet; accurrentibus & rogantibus amicis, cur plausus ederet, cum nemo luderet: dicebat se videre histriones in theatro, licèt ipsi non viderent. Admiranda quædam in theatro *Aristotelis* isti perspiciunt, & ijs applaudunt, quæ nos non intelligimus. At quid si doceamus, ipsos potiùs non intelligere, sed, vt illum phreneticum, *Aristotelis* studio quasi morbo occœcari, vt quæ non videant videre se putent? Quid si [a] *M. Ciceronem*, [b] *Diogenem Laërtium*, [c] *Alexandrum* ipsum *Aphrodisæum*, *Aristotelem* eodem modo quo nos interpretamur, interpretari probemus? Quid si nobilissimos illos heroas, Ecclesiæ Christianæ sydera, doctores & Græcos, & Latinos, non solùm sic exponere, sed etiam refellere *Aristotelem* ostendamus? quo tum confugient? *Ciceroni*, & *Laërtio*, & *Alexandro*, quid respondurisint, nescio; nisi respondeant *non credendum exemplis*, vel saltem, *locos esse probabiles, non veros*. De Christianis scriptoribus quid sint dicturi, subodorari mihi videor. Non negabunt, nisi me fallunt, esse vera, quæ sunt contra *Aristotelem* à tantis viris scripta: &

a *De finib. & 5*
b *De vitis Philos. lib. 5. in Arist.*
c *In 3. Top. Arist.*

tamen

tamen *Aristotelem* falli negabunt. Quî tandem hoc potest fieri, vt illi vera scribant, & in eo vera scribant, quòd *Aristotelem* falli scribant; & tamen *Aristoteles* non fallatur? Audies. Duplex est veritas; *veritas Philosophica*, & *veritas Theologica*. *Aristoteles* fallitur *veritate Theologicâ*; ac in eam sententiam ab illis meritò reprehenditur: *Aristoteles* non fallitur *veritate Philosophicâ*: nam in eâ fine dubio falli non potest; est miraculum naturæ. Quid ego audio? *veritas Philosophica* & *veritas Theologica*! Hoc est *dissecare*, non *distinguere*. Iam nihil miror homines istos irridere solere *simplicem veritatem*, cum tantâ ingenij fœcunditate pro *vnâ* veritate *duas* nobis pariant: vt homines temulenti pro *vnâ duas* lucernas vident; & *Messenio* [d] *Plautinus* pro *vno duos Dominos* inuenit; & [e] *Penetheus* furens pro vno *soles duos* aspexit. Ita profecerunt arte cauillandi, vt artem disputandi prorsùs ignorent. Quid enim est veritas? Eruditè *Graeci* verum appellant ἔτεον ab εἶναι: quòd tale sit quale dicitur. Itaq; vt repugnantia *simul esse* non posse docent Philosophi: ita repugnantia *simul*

d *Plaut. Menechm.*

e *Æschylus Eumenid.*

mul vera esse non posse docent ijdem Philosophi. Nostri verò, quod turpissimum est *Dialecticis*, ipsa principia Dialecticæ labefactant. f Nam quod tradit *Aristoteles* aientium & negantium non solùm in vniuersis, verumetiam in rebus singulis simul vtrumq; verum esse non posse: id isti, licèt euanidam distinctiunculam veritati tanquam soli nebulam opponant, reuerâ tamen negant. *Aristoteles* beatitudo non est vera beatitudo. Concedunt esse verum *Theologicè*. *Aristotelis* beatitudo est vera beatitudo; Id quoq; verum esse volunt *Philosophicè*. O ineptum g *Epiphanium*! qui Phylosophorum errores inter hæreses numerauit. Imperitum h *Iustinum Martyrem*! qui sententias *Aristotelis* tanto volumine reprehendit Nesciebant miseri Philosophos *Philosophicâ veritate* de rebus disserere; cum ipsi *Theologicam veritatem* spectent? *Paule* i Apostole, pudet me tui! Cur *Athenis* cum *Stoicis* & *Epicureis* de *vitâ futurâ*, de *resurrectione*, controuersaris? Nihil est controuersiæ. Resuscitationem corporis *Philosophi* k cuncti negant: sed secundùm *veritatem Philosophicam*.

f *De omni re affirmare aut negare verum est. Axiom. Arist.* Poster. l. 1.) *Istis, vtrumque, & affirmare & negare de eadem re, verũ. De in temp. c. 5*

g *Cont. hares. lib. 1. tom. 1.*

h *Arist. quorund. dogmatum euersio.*

i *Act. 17. 18.*

k *Tertul. de præscript. aduers. hares.*

cam. Tu verò ſecundùm *veritatem Theologicam*, quemadmodum à *Chriſto* didiciſti, affirmas. Cur fruſtrà *Paule* diſſentis à *Philoſophis*? Quin ſinis *Athenienſes Philoſophis* credere? Num exiſtimas eos minùs *Chriſtianos* futuros? Non eſt integrum l *Euſebio* diſtinctionis huius beneficio frui. Errauit enim. Non cognouit iſtam *duplicem veritatem*. Dicit *Ariſtotelem* aduerſari ſacroſanctis Scripturis, m quòd *felicitati* bona corporis & externa tribuit; n quòd *Dei prouidentiam* ad ſingula, quæ ſunt infrà lunam non extendat; o quòd *mundum* non creatum, ſed æternam eſſe dicat, p quòd *animam* non æternam ſed mortalem eſſe ſtatuat. Affirmat *Euſebius* in his omnibus *Ariſtotelem* aduerſari q ſacroſanctis Scripturis. Quid ei reſpondebimus? Erras *Euſebi!* non aduerſatur. Diſce diſtinctionem *Philoſophicæ veritatis*, & *Theologicæ veritatis*. Veniat *Ambroſius*, veniat *Auguſtinus*, veniant reliqui. Diſcant omnes Doctores à noſtris *Philoſophis*, aliam eſſe *Theologicam* veritatem, aliam eſſe *Philoſophicam* veritatem: Philoſophos ab ipſis immeritò reprehendi. Refert *Plutarchus*,

l *Lib.15.de præp.Euang.*

m *Cap.2.&3*
n *Lib.15.c.4.*
o *Lib eod.c.5*
p *Lib.eod.c.8*

q Μωσῆ καὶ ἑβραίοις καὶ τοῖς ἑβραίων προφήταις.

chus, quendam qui gallos malè depinxit, mandâſſe puero, vt veros gallos à ſuâ tabulâ, quàm longiſſimè abigeret. Id iſti quidem faciunt, qui *veritatem Theologicam* procul à ſe ablegant. Quanquam ſi fuiſſent ipſi pictores, diſtinxiſſent, haud dubito, ſe benè pinxiſſe, quoad *veritatem picturæ*, non quoad *veritatem naturæ*. Cæterùm, vt *Neronem*, impium homuncionem, *Teridates* Rex *Armeniæ* deum ſuum appellauit: (ſic *Ariſtotelis* vanæ opinioni patroni Ppiloſophiæ, *veritatis* nomen tribuunt. Quod ſi admittamus, quid tam abſurdum quin defendi; tam falſum quin probari poſſit, vel Epicureâ veritate, vel Platonicâ veritate, vel Stoicâ veritate, vel Turcicâ veritate, vel Papiſticâ veritate, vel Hæreticâ veritate, denique quâ non? Atque hoc pacto, vt *Democritus* non contentus vno *mundo*, ſomniauit infinitos: ita nos vnâ *veritate* non contenti, pariemus innumerabiles. Sed eo tamen euentu, velint nolint Philoſophi, vt quemadmodum *Varro* docuit triginta fuiſſe millia *Deorum* apud *Gentes*, cum ſit reipſâ tantum Vnus: ad eundem modum, cum ipſi triginta mil-

In opuſculo dediſcrimendo adulat. ab amic.

lia

lia *veritatum* pepererint, inuenturi sint tantùm vnam; & eam quam irrident, *simplicem veritatem*. Hîc antequam progrediar, ne fortassè quispiam diligenter examinans, (quod ego fieri percupio) quæ à me afferuntur, non inueniat in *Eusebio*, quæ citauerim ex *Eusebio*, moneo ne quærat quicquam eorum in *Eusebio* latino. *Trapezuntius Aristotelis* nimiùm studiosus, *Eusebij* de *Euangelicâ præparatione* libros in linguam latinam conuertit. Cæteros quatuordecim, quibus Ethnici cum Philosophis reliquis refutantur, latinos fecit: Decimum quintum, qui ferè totus consumitur in *Aristotelis* erroribus refutandis de *felicitate* hominis, *prouidentiâ* Dei, *æternitate* Mundi, *mortalitate* Animæ, prorsùs omisit. Itaque sciatis, ne quis *Indice* deceptus me calumnietur, latinum [1] *Eusebium* de *Euangelicâ præparatione* carere libro decimo quinto: in quo scribuntur quæ à me citantur. In exemplari Græco, si quis volet, videbit. Studete diligenter Græcis literis; vt Interpretum fallacias, quæ sunt nimiùm frequentes, etiam in profanis, sed inprimis in sacris, effugere valeatis,

1 *Excusum Paris, An. D.* 1534

atis. Quæ, vt ad fidem *Christianam* conducentia, putauit *Eusebius* perscribenda, ea, vt *Aristotelis* auctoritatem minuentia, *Trapezuntius* interpretanda non putauit. Quantò deteriùs, quàm *Trapezuntius*, nostri, qui metuentes ne sint nimiùm *Christiani*, volunt ab adolescentibus & ornari dicendo, & disputando defendi pietati repugnantia: pietati consentanea nolunt. Et tamen amant pietatem; amant religionem. Ita credò! vt *simia* suos amat *catulos*; vt *Dei Amica* suum amauit *Herculem*. Vehementer amant; amore necant. Amant, vt *Thais* amauit *Phædriam*:

Misera præ amore exclusit hunc foràs.

Loquamur, inquiunt, vt *Philosophi*; cum disserimus, cum declamamus. Putaui vobis potiùs loquendum vt *Christianis*. Num à Philosopho seruati, redempti, iudicandi? Num mysterijs *Philosophorum* initiati estis? Quid ista nobis, inquiunt? *Loquamur vt Philosophi*; nondum sumus Theologi. Theologi? Næ ista est magna prærogatiua fœminarum! loquantur licèt quicquid libet; nam sine dubio nunquam erunt Theologi. Nisi forsan,

forsan, vt olim *Iohannam* ferunt, fiant *Papæ*: quanquam id quoq; possunt, etsi non sint Theologi. Sed cur Theologiæ & Philosophiæ, tanquam Angliæ Scotiæ fines separant? Auctoritate, puto, fœcialium. At *loquamur* tamen vt *Philosophi*. Quid? vt *Diagoras*, cum negat esse Deum? vt *Protagoras*, cùm dubitat *an sit Deus*? vt *Aristoteles*, cùm tollit *Dei prouidentiam*? Imò ista sunt atheorum. Quid igitur? vt *Plato*, cum statuit *purgatorium*? vt *Porphyrius*, cùm ait *Angelos adorandos*? vt *Aristoteles*, cum docet *liberum arbitrium*? Eliciant ista sibi *Papistæ*. Quid igitur? vt *Epicurus* mortalem esse animam? vt *Aristippus* Voluptatem Summum Bonum? vt *Plato*, communionem vxorum approbandum? Nihil horum. Sed *declamationes* habere volumus, non *conciones*. Quid est *declamatio*? An vt poëma vocandum negant, quod caret *fabulis*; ita *declamatio* non appellabitur, quæ vacat *impijs*? Si sordidæ sunt meretrices, quæ nihil putant facetum, quod non sit obscœnum: cuiusmodi sunt ij Philosophi, qui nihil putant oratorium, quod non sit profanum? *Philosophica* volu-

Plut. quem oportet adol. aud. Poet.

mus

mus. Si vera, si bona, à sacris non dissentiunt. Si falsa, si mala, quid? Putârunt *Persæ* netas esse puero, vel mentiri, vel mala loqui; vos *Christianos* adolescentes *Ethnicis* pejores facitis? Non vis igitur, *loquamur vt Philosophi?* vt sapientes volo; vt imperiti, nolo. Sapientes voco, qui vera statuant; imperitos, qui falsa doceant. Est enim *Philosophia* studium sapientiæ; *sapientia* diuinorum & humanorum scientia; *scientia* porrò rerum est verarum. Ex quo efficitur, vt veræ Philosophiæ, sola quæ vera, nomen mereantur: quæ falsò docentur, indigna videantur nomine Philosophiæ. Philosophi, non sunt Philosophi, cum deflectunt à vero. Verùm quia vulgò nomen Philosophiæ, non veræ sapientiæ, sed sententijs Philosophorum siue veris siue falsis ascribi solet: memineritis oportet, quod monet* *Apostolus*, cauendum esse vobis, *ne quis per Philosophiam vos deprædetur.* Nam quidam nostrorum, pestilentes errores rationi & religioni contrarios cum defendunt, appellant *Philosophiam.*

* *Ad Coloss.* 2,8.

Nescia furtiuos Dido meditatur amores,

Con-

Coniugium vocat : hoc prætexit nomine culpam.

Coniugium vocat, commisit *adulterium*. Appellant *Philosophiam*: impietatem defendunt. Non debetis imitari *Caracallam Cæsarem*; qui nomen *Alexandri* sic adamabat, vt impurissimum quendam sicarium, cui nomen erat *Alexander*, in iudicium vocari, grauissimè tulerit. *Accusas tu Alexandrum? nisi taceas de Alexandro, perÿsti.* Cauete, ne nomen amando *Philosophiæ*, etiam cum erroribus *Philosophiam* amplectamini. *Alexandrum* ille, sed sicarium accusauit; *Philosophiam* ego, sed errantem, reprehendo. *Caracallæ* mihi dicent; Accusas tu *Philosophiam*? Nisi taceas de *Philosophiâ*, malè audies. Malè, à malis; non laboro. Non puto gloriam Summum esse Bonum. *Philosophiam* caueatis etiam atq; etiam moneo. Moneo quod *Apostolus*, moneo quod veteres; moneo quod recentes & præceptis & exemplis assiduè monent. Sic inculcat[f] *Lactantius* inanem & falsam esse *Philosophiam*; *Philosophos* benè loqui potuisse vt homines eruditos; non potuisse verè loqui, quia veritatem non didicerat.

[f] *Diuin. inst. lib. 3. cap. 5.*

cerant ab eo qui veritatis potens esset. Sic [t] *Eusebius* aberâsse *Philosophos* à veritate: nullâ scientiâ, sed inanibus coniecturis, & varijs erroribus, & futilibus nugis refertam esse *Philosophiam*: Sic [u] *Tertullianus* hæreses à *Philosophiâ* subornari; à *Platonicis*, à *Stoicis*, ab *Epicuro*, *Heraclito*, *Zenone*, *Aristotele*: à seculari sapientiâ hæreses propagari. Quid referam [d] *Iustinum Martyrem*, [e] Diuum *Augustinum*, quid [f] *Ambrosium*, quid reliquos, & crebrò & vehementèr in eandem sententiam disserere? Quid de recentioribus dicam, *Ludouico* [g] *Viue*, [h] *Pico Mirandula*, *Hyeronymo Sauonarola*? Qui, vnâ voce, tres viri doctissimi, cautè legendos à *Christianis* esse docent: quos tandem? non dico *Philosophos*, sed [i] philosophorum principes *Aristotelem* & *Platonem*. Quam ob causam? *Aristotelem* impios facere, *Platonem* superstitiosos. Exempla quæritis? *Pomponatius Aristoteli* nisium tribuendo euasit impius. *Fi-nus* ex somnijs *Platonicorum* de æmonibus, euasit superstitiosus. x philosophiâ *Platonis* & *Aristo-lis*, pestilentes errores, & primum inua-

t *De prapar. Euang. præm. l. 14. 15.*

u *Lib. de præscript. aduers. hæret.*

d *Christ. quæst ad Græcos & de vir. vel Chr.*

e *De Ciuit. Dei passim.*

f *De virg. veland lib. 3.*

g *De veritate fidei Christ. l. 5 cap. 3.*

h *De præuot. rerum cont. Mag. li 7 c. 4.*

i *Citatur à Ioh. Langi præfat. in Iust. Mart. cont. dogm. Arist.*

inuaserunt, & occupârunt diu, & hodiè deuastant *Ecclesiam Christianam*. Et tamen, ita fascinabitur *Satanæ* præstigijs orbis terrarum, vt errores *philosophorum*, in publicis conuentibus, apud *Christianos*, vanis & putridis *distinctiunculis* defendantur? Nesciunt hâc peruersâ consuetudine se perfeciſſe, vt *fides Christiana*, non in corde sed in templis, ac ne in templis quidem modo resideat. O quantum inter nos & Ethnicos interest! *Aristoteles Platonem* magistrum, vt suum errorem defenderet, deseruit: nos ab *Aristotele* profano, vt veritatem Dei defendamus, non declinabimus? *Virgilius* ex *Ennij* sterquilinio collegit aurum; nos è thesauro *Philosophorum*, stercora corrademus? *Isocrates*, sermonem, simulachrum vocat animi; *Democritus*, vmbram operis: nos & cogitare & facere quæ Christiani, si *loquamur vt Ethnici*, nobis posse videbimur? Falsò & improbè spurci poëtæ!

Ouid. *Vita verecunda est: Musa iocosa mea est.* &

Martial. l. 1. Ep. 5. *Lasciua est nobis pagina, vita proba.* &

Castis

Castum esse decet pium poetam
Ipsum, versiculos nihil necesse est.

Catullus ad Aurelium.

nè *Socrates*! Qualis animus, talis atio, qualis oratio, talis vita. Index animi sermo. Impurè loqueris: Impurè cogitas. Sermo profanus, animus *hristianus* non conueniunt. Non est pus, quod à *Christianus* in templo efenditur, id a philosophis in aulâ onuellatur. Debellate, quantum potestis affectus; præcidite fibras; pullabunt: extinguite faces; reuiuiscent: statim à teneris oportet optimis assuescere. Rectis opinionibus b infantiâ sunt imbuendi. Non lous, non tempus, non vlla vitijs deur occasio. Non est dubitandum, uin *Iulianus Apostata*, educatus à *onstantino*, multas audierit concines in templo. Declamator *Libani*, plus aspersit illi maculæ priuatis antùm colloquijs domi, quàm cunctæ conciones eluere potuerant. *Ne*o multa luculenta præcepta audirat à *Seneca*; verbum adulatoris, *Omnia licent principi*, præcepta omia dissipauit. Nemo seducatur. Plus na valet ignis scintilla ad accendendum sulphureũ puluerem, quàm otus Oceanus ad restinguendum.

Habetis

Habetis cupiditatem in intimis infixam, quæ sulphureo puluere cùm faciliùs accenditur, tum pestilentiùs grassatur. Cauete flammas; imò scintillas. Nihil sapit qui pietatem non sapit. Quid respondent ad ista *Philosophi* nostri? Rident scilicet meam imprudentiam, qui in ipsorum studijs pietatem desiderem, & hominum *Christianorum* officia requiram. Quid nobis, inquiunt, cum ista curiosâ pietate & sanctimoniâ? curent ista officia viri *Theologi*, reseruetur sacris concionibus *Christus*. Nobis autem qui sumus *Philosophi*, quid cum Theologiâ? Non est nostra professio. *Loquamur, vt Aristoteles, vt Philosophi.* Nam quod *Apostolus* iubet *Colossenses*, vt caueant, nequis illos per philosophiam decipiat: non ad omnes pertinet *Christianos*, ad Theologos tantùm pertinet. Scribitur quidem ad *Colossenses*: & isti *Geographi* dicunt *Colossas* esse ciuitatem. Sed *Colossæ*, sine dubio, fuit Schola Theologiæ; vel saltèm, siquidem ad *Christianos* scribitur, est *consilium* & non *præceptum*; qualia quædam esse in *Euangelio*, quæ non *omnibus Christianis*, sed *perfectis* traduntur, docent

Inter-

Interpretes Aristoteles in *moralibus*. Nos nè relinquimus consuetudinem *Aristotelis* defendendi, quam tanto tempore viri doctissimi in *Academijs* coluerunt? Imò verò cuncta, quæ dicuntur ab *Aristotele*, defendemus, contra superstitiosos istos *Stoicos*, in *Augustinensibus*: quoad *veritatem Philosophicam*, non quoad *veritatem Theologicam*; non *lumine fidei*, sed *lumine rationis*: *quatenùs Philosophi*, non *quatenùs Christiani*. Hæc isti, si non ijsdem *verbis*, eodem certè *sensu*, inter sua pocula magno animo exhalant. Sed hortarer istos, *quatenùs Philosophes*, vt si *quatenus Philosophi* viuant, prospiciant sibi seriò, ne quatenùs *Ethnici* moriantur. * *Rusticus* quidam, virum nobilem *Germanum*, cùm manè, armatum vt *principem*, in agris; vesperi mitratum vt *præsulem*, in templo vidisset: quæsiuit ab eius famulo, cur Dominus modò galeâ indueretur, modò tiarâ? Respondit ille, Quoniam & *Princeps* esset vrbis & *Pontifex*. Princeps, & Pontifex? inquit *Rusticus*, *Quæso cùm Princeps detrudetur ad inferos, quò discedet Pontifex?* si mihi liceret, quod licuit *Rustico*, rogarem

Habetis cupiditatem in intimis infixam, quæ ſulphureo puluere cùm faciliùs accenditur, tum peſtilentiùs graſſatur. Cauete flammas; imò ſcintillas. Nihil ſapit qui pietatem non ſapit. Quid reſpondent ad iſta *Philoſophi* noſtri? Rident ſcilicet meam imprudentiam, qui in ipſorum ſtudijs pietatem deſiderem, & hominum *Chriſtianorum* officia requiram. Quid nobis, inquiunt, cum iſta curioſâ pietate & ſanctimoniâ? curent iſta officia viri *Theologi*, reſeruetur ſacris concionibus *Chriſtus*. Nobis autem qui ſumus *Philoſophi*, quid cum Theologiâ? Non eſt noſtra profeſſio. *Loquamur, vt Ariſtoteles, vt Philoſophi.* Nam quod *Apoſtolus* iubet *Coloſſenſes*, vt caueant, nequis illos per philoſophiam decipiat: non ad omnes pertinet *Chriſtianos*, ad Theologos tantùm pertinet. Scribitur quidem ad *Coloſſenſes*: & iſti *Geographi* dicunt *Coloſſas* eſſe ciuitatem. Sed *Coloſſæ*, ſine dubio, fuit Schola Theologiæ; vel ſaltèm, ſiquidem ad *Chriſtianos* ſcribitur, eſt *conſilium* & non *præceptum*; qualia quædam eſſe in *Euangelio*, quæ non *omnibus Chriſtianis*, ſed *perfectis* traduntur, docent

Inter-

Interpretes Aristoteles in *moralibus*. Nos nè relinquimus consuetudinem *Aristotelis* defendendi, quam tanto tempore viri doctissimi in *Academijs* coluerunt? Imò verò cuncta, quæ dicuntur ab *Aristotele*, defendemus, contra superstitiosos istos *Stoicos*, in *Augustinensibus*: quoad *veritatem Philosophicam*, non quoad *veritatem Theologicam*; non *lumine fidei*, sed *lumine rationis*: *quatenùs Philosophi*, non *quatenùs Christiani*. Hæc isti, si non ijsdem *verbis*, eodem certè *sensu*, inter sua pocula magno animo exhalant. Sed hortarer istos, *quatenùs Philosophos*, vt si *quatenus Philosophi* viuant, prospiciant sibi seriò, ne quatenùs *Ethnici* moriantur. * *Rusticus* quidam, virum nobilem *Germanum*, cùm manè, armatum vt *principem*, in agris; vesperi mitratum vt *præsulem*, in templo vidisset: quæsiuit ab eius famulo, cur Dominus modò galeâ indueretur, modò tiarâ? Respondit ille, Quoniam & *Princeps* esset vrbis & *Pontifex*. Princeps, & Pontifex? inquit *Rusticus*, *Quæso cùm Princeps detrudetur ad inferos, quò discedet Pontifex?* si mihi liceret, quod licuit *Rustico*, rogarem

istos *Philosophos* & Christianos istos *Centauros*, & homines & bellua, *Hermaphroditos* istos, & viros & fœminas, vel *neutros* potiùs, qui dicunt in Scholis impia *vt Philosophi*, sacra in templis canunt, vt *Christiani: Quid Christiano* futurum putas, cum *Philosophus* ad inferos relegabitur? Nemo verba mea secùs torqueat, ac ego sentio. Nescio meum fatum, an vestras accusem linguas, quòd ea quæ recta sunt cum à me dicuntur; Vectorum, credo, vitio, sunt prauissima cum diuulgantur. Dissentiui aliquando *Poetas obscœnos*, quales sunt plerique *non perlegendos pueris*. Id attuli ex *Augustino* in *Confessionibus*; qui nominat *Terentium*, quem indignum prælectu putat, & Grammaticos reprehendit, quòd eum prælegerunt. Si putant hoc ineptum, cur me accusant? Accusent Augustinum. Veruntamen non nusquam hoc ita narratum est, quasi Poetas omninò legi nollem. Proinde quasi, si dicerem infantes, non carne, sed lacte, pascendos esse; aliquis apud lanios inuidiam mihi faceret, tanquam negarem carnibus vescendum esse. Iam si referatur iterum ad lanios, me quæ-

fiuisse,

fuiſſe, quid *Chriſtiano* ſit futurum, cum *Philoſophus* ad inferos relegatur: reſpondeo lanijs, Me *Philoſophos* eodem ſenſu dicere, quo *Tertullianus*. [a] *Quid ſimile Philoſophus & Chriſtianus?* [b] *Quid Athenis cum Hieroſolymis? Quid Academiæ cum Eccleſiâ? Quid hæreticis cum Chriſtianis?* Philoſophos appellat hæreticos. Non agnoſcit ſtolidam diſtinctionem *veritatis Philoſophicæ & veritatis Theologicæ*. Sed Philoſophos appellat hæreticos. Philoſophiam in ſuas hæreſes multipartitam, hominum ſtudio nimis *Philoſophantium* veritatem in *Eccleſiâ* corrupiſſe queritur. *Quid Athenis cum Hieroſolymis? Quid Academiæ cum Eccleſiâ? Quid hæreticis cum Chriſtianis?* Et tamen erit quiſquam qui miretur; cur nobis non putem loquendum vt Philoſophis? Loquentes, vt Philoſophi, varijs erroribus, *Græcam Eccleſiam* & *Europam* penè cunctam, antiquitùs inquinârunt. Loquentes vt Philoſophi tetris opinionibus *Italiam*, totam, ac vtinam ſolam *Italiam* noſtro tempore polluerunt. Loquuntur vt *Philoſophi* homines impuriſſimi (ſi tamen homines ſunt dicendi)

a *In Apolog.*
b *Lib. de præſcript. adverſ. hær.*

Cornelius Agrippa & *Nicolaus Machiauillus*, qui de Philosophiâ, ille naturali, iste morali, talia nobis præcepta vomunt,

Qualia credibile est rictu ructâsse trifauci
Cerberon, & Stygij monstra tremenda lacús.

Loquuntur vt Philosophi *Pomponatius* & *Cardanus*, quorum alter illud execrandum opus *de animæ mortalitate*; alter varios impios errores in *Subtilitatibus* suis propagauit. Refutantur, non inficior, ille, tenuiter à *Contareno*; iste luculentèr à *Scaligero*: sed quàm multos interea suis Philosophicis loquutionibus corruperunt! Plus nocent venena, quàm prosunt pharmaca: nec omnes sumunt pharmaca, qui sumunt venena. Non omnes sanantur, qui sauciantur: & est quisquam tam fatuus, qui sauciari velit, vt sanari possit? Quid igitur? dicet quispiam, vetas legi profana, ne sauciemur? Non *Aristotelem*, *Platonem*, *Ciceronem*, *Demosthenem*; non *Historiam*, *Philosophiam*, *Eloquentiam* attingemus? Atque hîc fortassis amplificabunt *Philosophi*, rem non tollendam propter abusum; agros ab aquis

aquis inundari; domos ab igne consumi; terram à Sole torreri; homines à tectis obrui; nec tamen propterea vel aquam vel ignem, vel Solem, vel tecta, nobis fugienda. Parcant labori. Non rem extingui, sed abusum tolli; germanum vsum restitui velim. Non dico nefas, profana *legi*: cùm legis, tantùm contrectas. Sed puto scelus profana *credi*: cum credis etiam, sauciaris. Eóq; puto cum periculo defendi: fortasse lædis; fortasse læderis. Cauendum tamen etiam, non solùm quæ defendas, sed quæ quo modo legas. Nam etsi cùm legis, tantùm contrectas: tamen contactu, ne sis securus, permulta nocent, nonnulla necant. Bestiolam quandam, quam vocant *Cyniphem*, esse docet *Augustinus*, in aëre volantem, adeò exilem, vt visam oculi nisi peracutè cernentis effugiat; quæ tamen cùm insederit, corpus acerbissimo fodit aculeo: vt quam ad stimulandum venire nescias, cum stimulârit, stimulâsse serò sentias. Si vestri oculi sint minùs acuti, vt non cernatis istos, quos dico, stimulos Philosophiæ: tamen cognoscite *Philosophiam* esse *Cyniphem*; solet incautos

Serm. de tom. pag. 87.

pungere. Nolite serò sentire: [a] *Accepto malo vel stultus sapit.* Aspidis morsus facit somnum suauissimum, vt mori te non sentias: sed facit somnum letalem. Fruatur suo *Cleopatra* [b] somno: aspidis ei morsum non inuideo. Contemnendum pertinacibus, sequendum prudentibus, necessarium omnibus, HIERONYMI iudicium ex *Epistola ad* DAMASVM *de filio prodigo* vobis proponam: Confirmat *Hieronymus*, quemadmodum *Iudæis, si pulcram mulierem captiuam adamarent, vxorem ducere licebat; sed ita, vt illius caput raderetur, vngues præsecarentur, captiua vestis deponeretur: similiter Christianis Philosophos & libros sapientiæ secularis licere sibi sumere; sed ita, vt si quid in illis vtile repererint, ad Christianum dogma conuertant; si quid verò superfluum, de idolis, de amore, de curâ rerum secularium, quasi ferro præcidant.* Ac nequis cauilletur hæc ad fidem pertinere, quæ sunt credenda; nec intereâ vetari, quin loquamur vt Ethnici: pergit *Hieronymus*, non dico de loquendis, sed de legendis tantùm prophanis verba faciens; *Nec nobis*, inquit, *blandiamur, si ea*

quæ

a Παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω, *Hesiod.*

b *Plutarc. in Anton.*

Hier. in Ep. de filio prodigo & frugi ad Damasum.

Deut. c. 22.

quæ sunt scripta non credimus: cùm aliorum conscientia vulneretur; & putemur probare, quæ dum legimus, non reprobamus. Si quis vrgeat vlteriùs, hæc ad *Episcopum* esse scripta; vel de rebus intelligi: sciat *Hieronymum* etiam de verbis, etiam de omnibus *Christianis* loqui. Adiungit enim, *Absit vt ex ore Christiano sonet* Iupiter Omnipotens, & Mehercule & Mecastor, *& cætera magis portenta quàm numina.* Non dicit *Hieronymus*, Absit vt ex ore *Theologi* sonet; aut, absit vt ex ore *Episcopi* sonet: sed absit, vt ex ore *Christiano* sonet. Itaq; si nostrûm aliquis aliquando imprudens sic loquatur, nolite sequi. Audite Hieronymum, *Absit vt ex ore Christiano sonet* Iupiter Omnipotens & Mehercule & Mecastor, *& cætera magis portenta quàm numina.* Quid? *non Deos immortales*, non *Iouem* appellabimus? non in carminibus, non in colloquijs; non cùm declamamus; non cùm differimus? Quid me rogatis? reprehendit * *Augustinus*, abominatur *Hieronymus. Absit vt ex ore Christiano sonet.* Quòd si in ipsis minutissimis verbis, homines præstantissimi, tam sunt severi: desinant

* *Retract. lib. 1. cap. 3. Displicet mihi quod Musas quasi deas quamuis iocando commemorarim.*

tandem iuuenes imperiti linguis maledicis passim exagitare, quòd exorti sint quidam inter Nostros, qui sententiam *Aristotelis* in omnibus quæstionibus, nec ipsi tueri velint, nec alijs tuendam putent. Mirum facinus? *Nouum crimen C. Cæsar & ante hunc diem inauditum, propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in Africâ fuisse.* Quod veteres omnes Sacri, Profani, Græci, Latini, Christiani, Ethnici, liberrimè fecerunt; quod doctissimi recentium in Dialecticis, in Rhetoricis, in Philosophicis, tam de Naturâ, quàm de moribus, non solùm ipsi faciunt, sed etiam necessario faciendum docent, quia hominibus natura, Philosophis veritas, pudentibus ratio, sapientibus pietas, Christianis religio, non suadet sed imperat, extorquet, non flagitat: id nobis hominibus seditiosis, à quibus *Aristotelcs*, qui solus omnium hominum, excepto *Papa, non potest errare*, errâsse iudicatur, quasi nouum crimen, & ante hunc diem inauditum impingitur. Quid igitur faciemus? Quo nos vertemus? Ad rationesnè? At fieri non potest vt *Aristotelis* quicquam vnquam rationibus

onibus refellatur, ne si repugnantia quidem dixerit. An ad autoritates? Recentes obijcias *Viuem*, *Ramum*, *Talæum*, *Martyrem*; sunt vel imperiti, vel superbi. Si veteres vrgeas *Eusebium*, *Augustinum*, *Tertullianum*, *Hieronymum*; non nostram consuetudinem, sed Ethnicos oppugnant. Si *Germaniæ*, & *Heluetiæ* Gymnasia proferas, quæ cum religione rationem docendæ Philosophiæ reformârunt; quibusdam superstitiosè fecisse videbuntur. Etsi non est mihi dubium, erudita ingenia istis ineptis cauillationculis non commoueri; tamen vt omnibus, si possim, satisfaciam (omitto rationes, quas solent contemnere) adijciam testes; ita recentes ætate, vt nostram consuetudinem tenuerint, ita versatos in literis, vt eam sine dubio cognouerint; auctoritate, saltem *Episcopos*; multitudine *penè ducentos*: nimirùm, consentientes sententias vniuersi *Concilij Lateranensis*, quod ante sexaginta annos habitum est Romæ. Attendite, quæso, diligenter quod afferam. Est enim locus notatu dignissimus, & extat *tomo* 3°. *Conciliorum*, *Concilio Lateranensi*, sub *Leone decimo Sessione* 8a. *Decretum concilii Lateran sub Leone 10. sess. 8.*

si quis auet videre pleniùs, quod breuiùs attingam. Cum eo tempore in *Academijs*, defensores *Aristotelis* vsq; eò profeciſſent; vt *animam esse mortalem*, saltem secundum Philoſophiam, ex *Aristotele* defenderent; secùs fortaſſe, quam ſentit *Aristoteles*, ſed tamen ex *Aristotele*, quòd *Aristotelem* ſic ſenſiſſe putârit *Auerroes*. promulgatur in *Concilij Lateranensis* conſeſſu, *pernicioſiſſimos quoſdam errores à fidelibus ſemper exploſos, ab illo peſtilenti malorum artifice in agro Dominico ſeminatos; ac inter cæteros, mortalem eſſe animam.* Quod qui verum eſſe aſſeuerant, dicuntur à *Concilio* "temerè philoſophari: Tantùm ne! "*Immò damnantur, omnes, id aſſeuerantes, & in dubium vertentes. Secundum theologiam*, dicet quiſpiam. Immò *damnantur, quicunq; aſſerunt, id eſſe verum, vel ſecundum philoſophiam*; philoſophiam dico, nam id in Decreto nominatim exprimitur. Accipite Generale *Decretum*, quod adiungitur: *Quandoquidem verum vero minimè contradicit* (animaduertite rationem, qui veritatem *Philoſophicam* & *Theologicam* diſtinguitis) *quandoquidem verum vero minimè contradicit*;

dicit; mnem assertionem, veritati Christianæ fidei contrariam omninò falsam esse definimus: & vt aliter statuere non liceat, districtè prohibemus. Ac omnes huiusmodi erroris assertionibus inhærentes, veluti damnatissimas hæreses seminantes, per omnia vt detestandos, & abominandos, hæreticos & infideles, Catholicam fidem labefactantes, vitandos & puniendos fore decernimus. Auditis temerarios nostros Philosophos detestandos, & *abominandos hæreticos* & *infideles* à Concilio pronunciari; Iam verò ne solùm videantur statuere, *Aristotelis* errores non esse propugnandos; iubent non solùm, ne propugnentur, verùm etiam oppugnentur. Quod attendant, qui præsunt disputantibus de Philosophiâ Sic enim sequitur; *Cunctis Philosophis in Academijs, aut alibi publicè legentibus fevere præcipimus; vt cum principia vel conclusiones Philosophorum, in quibus à rectâ fide declinant, vt de animæ mortalitate, aut mundi æternitate, aut alia eiusmodi, suis auditoribus legerint vel explanârint: eisdem veritatem religionis Christianæ omni conatu manifestam faciant, & persuadendo, quantum possint, doceant;*

ceant; & omni studio, huiusmodi Philosophorum argumenta, quandoquidem omnia dissolui possunt, pro viribus conuellant ac refutent. Habetis Decretum : adiungitur execratio in eos omnes qui violauerint. Atque hoc *Decretum* non paucis quibusdam, sed simpliciter placuit vniuerso Consilio. Dissensit tantum vnus ab omnibus; *Reuerendus Dominus Thomas Generalis Ordinis Prædicatorum.* Is, vt videtur, *Aristotelis* quàm pietatis multò studiosior, *non placere sibi* dixit *secundam Decreti partem*; quâ præcipitur, vt *Philosophi publice persuadendo doceant veritatem fidei.* Dubitate nunc, si potestis, vtrum sequamini; *vnius, Domini, Thomæ, Prædicatoris, Fraterculi,* delirium : an *Vniuersi, Concilij Lateranensis,* sancitum Anathemate *Decretum.* Porrò, si *Concilium Lateranense,* si *Pontifex Romanus,* si *Cardinales* ipsi *Romanæ Ecclesiæ,* quorum permulta religionis capita propiùs ad ARISTOTELEM & *Philosophos,* quàm *Christum* & *Apostolos* accedunt, tamen anathema de cunctis pronuntiant, qui sententias ARISTOTELIS à CHRISTO dissentientes vel *secundum Philosophi-*

am

am veras esse dixerint : quid nobis faciendum esse iudicatis, qui puritatem religionis, superstitione vacuam, immunem à putidis hominum commentis, secretam à fæcibus, disiunctam à sordibus errorum omnium, profitendam suscepimus? Omitto, quod idem iterum inculcatur, triginta quinque abhinc annis, in *Nicæno* conuentu delectorum *Cardinalium*, qui *magnum abusum & pernicio-sum* vocant, *quòd in publicis gymnasiis Philosophiæ professores impietatem docent; quod non ostendant infirmitatem naturalis luminis in Philosophis loquentibus, de Deo, de mundo, de similibus; quòd non auditores in omnibus quæstionibus ad pietatem dirigant.* Non vrgeo iudicium iuratorum testium, *Sadolete, Contareni, Poli, Cardinalium*: *Decretum Concilij Lateranensis* vrgeo. Quicunque igitur aut animæ mortalitatem, aut mundi æternitatem, vel *secundum Philosophiam* veram esse dixerit : si sit pius, meminerit se grauissimè nomen *Dei* profanare, cuius *verbo*, siue loco siue seriò fidem derogat : si sit Papista, sciat se detestabilem hæreticum & *infidelem* pronunciari, & *anathemate* obstringi,

Iudicium consilii delectorum Card. tom. 3. Conc.

ſtringi, & *inferis* deuoueri à *Romano Pontifice* & *Concilio Lateranenſi*, ſi ſit ἄθεος; vtatur ſuâ philoſophandi libertate: defendat *Diſtinctionibus*, quicquid volet; non moror. Cæteris quidem omnibus, ſiue ſapiant pietatem, ſiue ſimulent; quod dico de *mundi æternitate* & *mortalitate animæ*; de cunctis quæſtionibus à *Chriſtianâ* pietate diſſentientibus idem dico, in quibus eſt *Ariſtotelis opinio de felicitate*, iudicio *Euſebij*, *Lactantij*, *Auguſtini*, *Ambroſij*, *Gregorij Nyſſeni*, *Nazianzeni*, & aliorum multorum doctiſſimorum hominum. Viderint qui defendunt. Diſtinguant *Philoſophi*; latrent *Serboniſtæ*; fremant *Epicurei*; rideant Machiauelli; vincit veritas. Ipſi tremunt, & ruent & pntreſcunt: & vincet veritas; veritas, vt palma, quò magis deprimitur eò magis emergit: eò grauius remittitur, quò violentius incuruatur. Obſcurant ſæpè Solem caligines, ſed diſſipantur. Frangun-tur rami aurei *Proſerpinæ*, ſed renaſcuntur. Fruſtrà calces contra ſtimulum. Veritas premi poteſt, opprimi non poteſt. Quòd ſi quis fortaſſe *Philoſophaſter* offenditur; (nec enim eſt ſperandum, vt, rectè quæ dicun-

dicuntur, offendant neminem) ne, tanquam *Momus*, ea quæ dico, rodat in angulis, aut hoc aut illud virulentâ linguâ laceret, sed Orationem meam refutet. Non erit opus ad *Augustinenses*: scribat intra priuatos parietes, *Verba volant; scripta manent*; *iudicent docti*. Exemplar orationis perlibenter ei tradam. Atque adeò vehementer, etiam atque etiam, ab *Aristotelêis* contendo, si vllam habeant suæ causæ fiduciam; si vllo vel *Aristotelis*, vel Philosophiæ vel veritatis tangantur studio: primùm, vt ea, quæ dicta sunt, refutent; id si non possunt, nec enim dubito de voluntate; de peruersâ consuetudine cedant veritati. Ne dicant sibi locum dicendi non dari; datur scribendi, quod & debent libentiùs, & possunt cogitatiùs. Agnosco meam infirmitatem, nemo magis: sed magna est *veritas*. Non tam diffido mihi, quàm confido causæ. Bonam causam vel infans sustineat: malæ, vix *Cicero* patronus sufficiat. Sed, consequantur obsecro, nouas *Distinctiones*: nam illæ quas tractauimus, sunt plusquam *Crambe*, non *bis*, sed milliès *recocta*. Ne *Polyphemi* quidem stomachus

machus eas ferat: vt minùs sit mirandũ nostos *discipulos* toties ægrotare cum talibus saginentur, Si quis autem modestior, vel non intellexerit, vel non probauerit, quicquam eorũ, quæ prout potui, pro temporis angustijs, perstrinxi potiùs, quàm explicaui, ad me quæso veniat; inueniet paratissimũ, vel vt doceã, quæ sciam, vel vt discam, quæ nesciam. Non omniascimus omnes. Errare possum, doceri volo. Tũtùm peto; nemo temerè carpat, quod agitur; *Philosophiæ* studiũ, nec cõtemnitur, nec condemnatur. Sèd vlcus video, quod latet altiùs. Hæret quibusdã profana impietas affixa præcordijs, quæ non solũ insuauem, verum etiam inuisam reddit pietatem. Nimirũ, vt olim scripsit *Augustinus*, *sub nomine Naturæ latent inimici Gratiæ*: ita nostris temporibus verè dici potest, *sub nomine Philosophiæ latent inimici Fidei*. Sunt multi, certò scio, qui labuntur imperitiâ: sed intelligo peruicaces Philosophiæ patronos; in quibus vtinã falsum sit, quod iterùm dolens dico; *sub nomine Philosophiæ latent inimici Fidei* Putabor à nonnullis eorũ inimicus, quorũ vlceribus ita manũ admoueo. Sic *Oreſtes furens* apud *Euripidem*, *Electrã*

stră sororem appellat *Furiam*; quòd eum, ne fureret, in lecto constringeret. Sed nec fratris conuitia deterruerunt *Electram*: nec horũ suspiciones me retardabunt. Cũ erunt saniores, gratiã habebunt. Ferenda est medico laborantiũ morositas. Nec enim sũ nescius, quàm acerba, quã multorũ incurrã odia: quod, essẽ stupidissimus quidẽ certè, si facerẽ nisi magnũ momentũ, ad vestrũ profectũ, ad verũ pietatẽ, ad *Dei* gloriã (quæ, *Deo teste*, sola quæro) in istis leuiusculis situ esse cognoscerem. Videntur leuiuscula: sed in radicibus vis arborũ continetur. Literæ Sacræ, literæ profanæ, sunt simillimæ *geminis* apud *Hippocratem*, simul ridentibus, simul plorantibus, simul ægrotis, simul integris. Quibus in *Academijs* floret *Euangelium*, ex illis exulant *Dunsorum* ineptiæ. Testes, *Geneua*, *Lausanna*, *Basilea*? testis *Germania*? Quibus in locis *Aristoteles* regnat, illic impietas maximè dominatur. Testes *Louania*, *Lutetia*, *Patauiũ*? testis *Italia*? Quare faciant omnia quæ pietati officiunt. Defendamus *Philosophiã*; sed *vsq; ad aras*. Studeamus profanis artibus; sed referantur ad Sacras. Hæc sine controuersiâ, fuit voluntas illius pij Senis RICHARDI FOXI:

cuius *Imago* vobis ob oculos indies obuersatur. Hoc vnum spectauit ILLE, & si lapsus errore temporis, sed hoc spectauit tamen; vt religio, vt pietas, vt sacra studia propagarentur. Qui, cùm eandem optimam *voluntatem* magis expressam suis *legibus*, quàm impressam nostris moribus (quod dolendum est) reliquerit: ob eam causam, apud nos omnes, quasi Pater apud Liberos, assiduis sermonibus in hæc mihi verba prorumpere videtur.

" EGO, cùm vos, *Adolescentes*, " adoptione filios, in *Christo* fratres, " ad *Dei* cognitionem, id est, veram " felicitatem educari percuperem; " ne spinæ molestiarum germinantia pietatis semina suffocarent, " erexi domicilium, in quo à curis " vacui, toti disciplinis incumbere " possetis. Curaui, vt alimenta vo- " bis ministrarentur, ad pascenda " corpora. Effeci, vt disciplinæ vo- " bis explicarentur, ad alendos ani- " mos. Admonui, memores essetis, " non habitandi, sed commorandi " vobis in terrâ datum esse locum: non haberi ciuitatem isthîc manentem; futuram à vobis cœlestem

" inqui-

" inquirendam. Constituti *Profes-*
" *sores* & linguarum & artium : vt
" eas, dum estis teneri imbiberitis;
" quo paratiores ad maiora venire-
" tis. Obsecraui *in visceribus Domi-*
" *ni nostri Iesu Christi*, vt omnia ve-
" stra studia *Dei* gloriæ consecrare-
" tis. *Collegium* meum *Christo* dica-
tum, Theologiæ causâ constructum
esse docui. *Lectores* reliquos *Lecto-*
ri Theologiæ suam tanquam ope-
ram destinare jussi. Ad vnius Theo
logiæ studium capessendum, om-
ni labore, diligentiâ, industriâ,
vos omnes eniti, conari, conten-
dere, vehementer rogaui, oraui,
imperaui. Sperabam emersuros
ex hoc *Collegio* viros innumerabi-
les, excultos scientiâ, præstantes
probitate, & vitâ & verbis verè
Christianos, qui diuinæ sapientiæ
sale conditi, sapore pietatis insul-
sos temperarent : qui cœcis, in
caligine lucem afferrent; miseris
in morbo, salutem restituerent; vi-
ctum egentibus, vires languenti-
bus, ducem errantibus, vitam
morientibus, ex *Euangelio* submi-
nistrarent. Verùm ô frustrà sus-
ceptos labores ? ô spes inanes

" meas?

" meas! quæ, tantum abeſt, vt ad
" eum, quem ſperaui portum aſpi-
" rent, vt in ipſo medio curſu, vi-
" tio deprauatæ educationis, qua
" procelloſo turbine, peruertantur
" *Origines* ille, cum *Ethnicos*, *Alex-*
" *andriæ*, profanis artibus erudire
" admiſcendis nonnunquam exem
" plis & ſententijs è doctrinâ pie
" tis, tantum profecit, vt docendi
" *Rhetoricâ*, multos ex *Ethnic*
" *Chriſtianos* effecerit. Vos, cùm
" *Chriſtianus*, *Oxoniæ*, Moralem ſ
" pientiam explicetis; non impio
" ſpero; at languidos, ſcio, *Epicur*
" quadam ſecuritate vitæ diſcip
" los inficitis. Ita riuuli, qui debe
" bant miſerorum mentes arida
" irrigare, vt pietate herbeſcerent
" exſiccantur in fonte; fructus i
" flore corrumpuntur, fruges i
" herbis conculcantur, priuſquà
" ad iuſtam maturitatem, vt homi
" nes paſcerent, peruenire valeb
" ant. Quid autem aliud fecit *Iuli*
" *anus*, flagitioſus *Apoſtata*, cum Chr
" *ſtianam* religionem ex orbe terra
" rum exſcindere conaretur: quà
" eas in Scholis, doceri, defendi
" declamari curauit opiniones: qu
diffe

dissentientes à pietate *Christianâ*, teneris ingenijs vel contemptum vel odium pietatis infererent? Damnatur *Maximinus*, tyrannus *Ethnicus*, impietatis, ab [a] *Eusebio* quòd eo, quæ sinceram pietatem oppugnarent, à lectoribus explicari, ab *Auditoribus* edisci, in Scholis voluerit: vos, qui *Christi* professi nomen estis, vos immunes criminis esse iudicatis, cum profanos *Gentilium* errores, quos detestatur [b] *Basilius*, declamando prædicatis; cùm *Aristotelis* sordida dogmata, vt appellat [c] *Chrysostomus*, disputando defenditis?

O curuæ in terris animæ & cœlestium inanes.

Quis furor vestros sensus ita fascinauit, vt è *Philosophis* venenum exugatis; subsidia conuertatis in detrimenta; vanitatem amplectamini pro veritate; sumatis defece, cùm possitis de flore: in templo, verbis *Christum*; in scholis, reuerâ, *Aristotelem*; in vitâ, factis, *Epicurum* profiteamini? Quã turpe est in vos quadrare, quod dixit [d] *Ambrosius* de *Arianis*: *Reliquerunt*

a *Eccles. hist. l. 9. c. 5. & 7.*

b *Homilia ad iuuenes quo modo ex Græcis disciplinis vtilitatem percipiant.*

c *In Marcum hamil. 10.*

d *Serm. 22. in Psal. 118.*

" *querunt Apostolum, sequuntur Aristotelem.* Cur bonas horas in malis nugis; diuina ingenia in rebus noxijs; cur tempus pretiosissimum quod in Historicis, Oratoribus, Philosophis, ac in primis in Sacris, ad imbibendam veritatem & pietatem promouendam collocari debuit: imprudentes in putidis delirantium homuncionũ sentinis consumitis? An me tam excordem vnquam futurum fuisse iudicatis, vt, qui Theologis, in Scripturâ interpretandâ, ne *Lyranum*, ne *Hugonem* sequerentur, interdicerem; idem ego, primis artibus, tales sordes, *Stanihurstum* in Dialecticis, *Paulum Venetum* in Analyticis, *Niphum* in Topicis, *Donatum* in Ethicis, studiosis adolescentibus vel gustandos proponerem? Nonnè vos, si mea *Imago*, quorsum electi, quid spectare, quò referre studia deberetis, non admonebat: nec ohortationes quidem assiduæ, vt mella tanquam *Apes* è floribus veritatis, conficeretis semper ad *Dei* gloriam, commouebant? Non iudicium Sanctissimorum virorum, *Eusebij*, *Augustini*,

" *gustini, Lactantij, Iustini Martyris,*
" reliquorum Patrum ; qui falsas
" *Philosophorum* & *Aristotelis* opini-
" ones, tanto conatu, tantâ cogni-
" tione conuulsêrunt & profligâ-
" runt ? Non auctoritas *Lateranensis*
" *Concilij*, non tot *Episcoporum*, non
" doctissimorum hominum, *delecto-*
" *rum Cardinalium* : qui, quò *Chri-*
" *stiani* statim à teneris veras hauri-
" rent opiniones, luminis natura-
" lis infirmitatem in *Philosophis* ag-
" noscendam, aperiendam, incul-
" candum Auditoribus seuerissimè
" præceperunt ? Quid est in vobis
" quid est in vllo vestrûm, cur vos
" existimetis adolescentes, tot sen-
" ibus; imperitos, tot Patribus, do-
" ctrinâ fulgentibus, pietate præ-
" stantibus, vel prudentiores in e-
" ducando, quos docetis, vel acu-
" tiores ad intelligendum quos le-
" gitis: vt *Aristotelis* de *Naturâ*, de
" *Moribus*, quæ illi condemnârunt,
" vt falsa & inepta; ea vos, tanquam
" immeritò condemnata, stolidis
" *Distinctionibus* dogmata probetis ?
" Ideonè ego COLLEGIVM
" CORPORIS CHRISTI
" *Theologis* extruxi; vt peruicaces *Ari-*
stoteli

" *ristoteli* satellites, non pios Seruatori seruos compararem ? Ideò
" beneficijs maximis vos ornaui, vt
" vel impia, vel infrugifera, pro bonis & salutaribus ; gloriam hominum, pro gloriâ Dei; deos infernales, pro præpotenti Numine
" dicendo celebretis ? Ideò virum
" insignem, *Ludouicum Viuem*, *Prælectorem* constitui, qui viuis monitis, mortuis scriptis, quo modo
" artes corruptæ perpurgarentur,
" vos doceret : vt iuuenes temerarij à frugibus ad glandes, ab arboribus ad quisquilias, tanquam
" canes advomitum, ad volutabrum
" sues reuerteremini ? Non rectos
" deprauari, sed prauos dirigi; doceri imperitos, non dociles infatuari ; non quæ deliri *Philosophi*
" somniarent, sed quæ rerum veritas artibus contineret ; teneri à
" vobis, & *volui* & *decreui*. An caro
" non suâ sponte satis furit, præceps
" ad diffidentiam, procliuis ad nequitiam, flexibilis ad omne flagitiorum genus; nisi fomites, ad inflammandas impietatis scintillas,
" ad ignes ignibus cumulandos, è
" Philosophis adhibeantur ? Non

" estis idonei Auditores *Aristotelis*;
" at estis *Christi*. Excutite torporem
" conculcate profana, cœlestia sa-
" pite, veritatem quærite, pieta-
" tem colite; non frigidè, sed ar-
" denter; omni studio, toto pecto-
" re; noctu, interdiu; domi, foris;
" priuatim, publicè. *Violenti rapi-*
" *unt regnum cœlorum*. Non des-
" dentes, sed currentes coronan-
" tur. Nescit omnia, qui *Christum*
" nescit. Vera religio est vera *bea-*
" *titudo*. Nemo se decipiat: Doctri-
" na sine pietate venenum est. Quos
" habet, inflat; quos inflat, necat.
" DEVS OPTIMVS MAXIMVS
" splendore suæ gratiæ vestros ani-
" mos illustret, vt semper memores
" etiam otiosi sermonis, non solùm
" vitiosi operis, rationem seuero
" Iudici reddendam; neq; curiosas
" homuncionum nænias, neq; spe-
" cioſas *Philosophorum* argutias, nec
" ineptias *Sophistarum*, nec *Dunso-*
" *rum* stultitias, sed veram & fru-
" ctuosam doctrinam animo com-
" prehendatis; quò tandem ali-
" quando, cum exculti scientiâ, tum
" ornati pietate, *Deo* honori, vobis
" saluti, alijs vtilitati esse possitis.

Hæc ille Pius Senex, *Adoleſcentes ornatiſſimi*, ſi non curſu dictionis, at effectu voluntatis, quotidiè nobis loquitur. Quæ diligenter animaduertentes, obteſtor coram *Domino*, coram tremendâ cuius Maieſtate, eorum, qui recta contemnunt monita, conſcientiæ horreſcent; ne abutamini & veſtris & alienis præſtantibus ingenijs: qui docetis, diligentiam, ad tradendum; qui diſcitis induſtriam ad hauriendum, non inania, ſed idonea; non nugatoria, ſed neceſſaria; non vſitata, ſed vtilia conferatis. Tempus fugax; artes, arduæ; vita, breuis; error, periculoſus; nugæ, noxiæ; veritas, pretioſa; SCOPVS EST CHRISTVS. Veſtigent veram ſapientiam, qui non cognoſcunt; & exprimant linguâ ſapientiam, qui jam cognoſcunt: ne cæteri ſpernant ſapientiam, antequam cognoſcant; & ipſi falſam fruſtrà, veram nunquam ſapientiam cognoſcunt.

Dixi.

ORA-

ORATIO POST FESTVM NATALIS CHRISTI, CONTRA felicitatem ARISTOTELICAM.

REdit agricolis labor actus in orbem,
Atq; in se sua per vestigia volvitur annus:

Virg. Georg. lib. 2.

Admonuit enim me *Ianus* vester, qui *geminâ fronte*, futura prospiciens, respiciens præterita, recentia cum antiquis, sequentia cum antegressis coagmentare fingitur; vt quemadmodum *Poetæ* versibus, quibus quietem agricolis permittit, annum terminaui; ita eiusdem *Poetæ* versibus, quibus laborem agricolis præscribit, ineuntem annum auspicarer. Quid enim esse potest, aut meo muneri magis idoneum, aut vestro studio magis accommodum, aut isti tempori magis opportunum, quàm vt optimos adolescentes ad optimum laborem, quàm optimâ voluntate, quantum possim, adhorter. Ego sum, qui adhorter; officio

Lector, vt debeam; *Collegio* frater, vt cupiam; ab ingenio minùs firmus, vt valeam; at industriâ tamen promptus, vt studeam vobis semper omnibus vehementissimè prodesse. Vos estis, quos adhortor, ætate vixdum iuuenes; prudentiâ propè senes; religione serui CHRISTI; si, qui debetis, estis, professione studiosi Artium; si quod præfertis, facitis, vt & confidam posse, nec velle vos desperem, ad præstantissima contendere. Doctrina est, ad quam adhortor, quæ diuinitùs concessa, sed studia consequenda; si non ad comparandum aut lucrum aut laudem, quæ tamen sequi solent, sed ad cognoscendum & Deum & seipsum, quod summè peti debet, ab homine referatur: tantum adiungit in tenebris splendorem, in fluctibus leuamen, in aduersis solatium, ornamentum in secundis, in omnibus præsidium, vt eius laudes ne doctrina quidem ipsa satis mihi doctè docere posse videatur. Quòd si *Virgilius* in agris colendis frumenti semine, quo alitur corpus, tantum ad humanam vitam adiumenti situm esse iudicauit, vt agricolarum cùm socordiam castigaret,

ſtigaret, tam prædicaret conditionem;

Et dubitant homines ſerere atq; impendere curam ? — *Virg. Georg. l. 2. v. 433 & v. 458.*

O fortunatos nimiùm, bona ſi ſua norint, Agricolas !

Quantò nos veriùs eos, qui colendis, non agris, ſed animis; non frugibus, ſed artibus; non ventris, ſed mentis alimento laborant, & admiremur & affirmemus,

O fortunatos nimiùm, bona ſi ſua norint !

Et dubitant homines ſerere atq; impendere curam ?

quum præſertim *agricolis* ſemper & *labor*, & idem labor, *in orbem redeat*, vt aſſiduè tanquam a *Syſiphi* ſaxum idem voluant atque reuoluant : nobis, etſi aſſiduè labor ex labore naſcitur, tamen & facilior & alius naſcitur, vt viciſſim tanquam *Hercules* magis varias minùs aſperas ærumnas exantlemus. Eſca porrò corporis, quam illi curant, tanquam aqua in vrnas b *Belidum* ſemper ingeritur & ſemper exhauritur; pabulum verò mentis, quod nos tractamus, tanquam c *Tityi* jecur ab aquilâ ſem-

a *Hom. Od. 7.*

b *Aſſiduè repe unt, quas perdunt* Belides *vndas, Ouid. Met. 4.*

c *Hom. Od. λ. Lucr. l. 3. Virg. Æn. 6.*

per depascitur, nec vnquam consumitur: vtrisque labor sed nobis leuior; vtrisq; fractus, sed nobis certior. Quamobrem cum è duabus dissidentibus naturis coagmentati sumus, animo & corpore, quorum alter alteri dominatur instar ducis, vterque vtrumq; comitetur ad virtutem; ne tanquam simiæ partum alterum, ita nos partem alteram negligamus. Sed cura sit nobis vtriusque sic pascendi, vt illius imperio, huius ministerio, meliùs vtamur. Escas & potiones, quæ corpus pascunt, iamdiu liberaliùs, quotidiè quantum satis est naturæ, percepimus; artes & scientias, quæ mentem alunt iampridem ieiuniùs, perrarò quantum satis est ingenio, deguſtamus. Quòd si Prouerbio notari voluerimus, vt *meliùs pasti* videamur, *quàm docti*, non tam delitijs ad saginandum corpus, quàm adconfirmandum animum scientijs vacare debemus. Vt enim corpus, cui cibus subtrahitur, macie mox contabescit, & crudos humores contrahit, & fastidium ciborum concipit, modò febre, modò tabe, modò scabie, grauioribus modò morbis inediam profitetur;

sic

sic animus, qui scientiæ pastu fraudatur, nequitiâ mox deliquescit, & prauos affectus commouet, & doctrinæ fastidio laborat, modò stultitiâ, modò socordiâ, modò vitijs tetrioribus, infamem famem indicat. Ac mihi quidem, si, quod sentio, dicendum est, vt illam corporis secundum medicos, sic istam animi, nisi fallor, inediam, senes quàm viri, viri quàm iuuenes, iuuenes quàm pueri multò commodiùs tolerare posse non iniuriâ putantur: vt quantò minùs ad vitæ metam ætatis quasi cursu prouecti estis, tantò magis ad cogitationem cupiditatis impetu ferri debeatis. Affirmant *Stoici*, vt scribit *Plutarchus*, *Solem* à *Tropico Capricorni* post brumale solstitium ad nos *remigrare*, quod *nutriatur exhalationibus* maris & terræ, quæ nostris è regionibus, quàm ex oppositis, emittuntur vberiùs. Verentur puto Solem, quasi coquum *Sybariticum*, ne si potu fortasse careat, fruges minùs maturè percoquat. Næ Solem istum prudentem esse conuenit, qui suo ventri tam accuratè prospicit! Equidem solis metam non noui; & miror, quæ sit illi cum *Camæleonte* cognatio,

De Placit. Philosoph. l. 2. c. 23.

vt exhalationibus aëris vescatur: verùm, si vera dicunt Philosophi, cum ad nostros, cibi gratiâ, reuerti, ne patiamur solum solem inediæ mederi; nos quoq; nobis, ac imprimis animis alimenta curemus. Nam quotusquisq; nostrûm non famem corporis, at famem animi quotusquisq; sentit! Quod ipsum tamen non cò dico, quasi vos velim, instar *Catonis helluonis librorum*, semper in animi dapes ingurgitare: est enim vt corporis, ita & animi sua quædam, in epulis, quasi luxuria, quas si magis, quàm deceat, secùs, ac debeat, voraciter absumat, malè necesse est digeratur, & quâdam eruditate laboret. Vt igitur inedia nimia lethalis, ita nec crapula nimia salubris, vtraque periculosa, & vtraque pertimescenda: sed inedia perpetuò reipsâ nocentior, sanatu difficilior. Crapula nonnunquam ad tempus molestior, sed nobis sanabilior; quam tamen cuitabitis, ne pharmacis egeatis, si diligenter caueritis, quantũ & qualem cibum sumatis, alterum ne nimium, alterum ne noxium animi sit alimentum. Feruntur in *Italiâ* quædam pascua tam esse pinguia, vt,

nisi

nisi pecudes interdum abigantur, saturitate suffocentur; & *Nilus* Ægyptum, si nimis inundet, autore *Plinio*, non fœcunditatem agrorum auget, sed parit sterilitatem. Nec frustrà *Plutarchus* plantas, si modico perfundantur humore, magis efflorescere, prorsus exarescere, si nimio. Segetem nimia sternit vbertas. Eaque propter de me sic statuo, quia post longam famem auidiùs homines vesci soleat, eò vobis hodiè minus apponam, ne copia crapulam; de re sic existimo vt apud *Æschylum*, qui nouit vtilia, non qui multa, sapiens pronuntiatur; similiter à nobis non qui multa comedit, sed qui salubria, sanum iudicandum. Sic enim ab *Aristippo*, non qui legisset plurima, sed qui nouisset optima, doctus est habitus. Quanquam fortassis admonendi non fuistis, cauendum esse vobis, ne mentem doctrinâ plus satis pasceretis: sumus nostrâ sponte nimis abstinentes, & eiusmodi ieiunium obseruamus iniussi. Malè factum à *Papistis*, quòd non etiam isti *ieiunio meritum* aseripserunt; multi sine dubio *Supererogationis Operibus* hîc floruissent. Quòd vtinam tam essemus

d *Nat. hist. l. 5. c. & l. 18. c. 18.*

in altero cauti, quàm esse consueuimus in hoc continentes! nam quantitate quàm pauci peccant, vel multi potiùs, at qualitate quàm propè cuncti (quid enim dicam, multi?) & seipsos & rem-publ. tum facto tum exemplo, si non interimant, saltem inficiunt! Ita sunt nobis animi pestilentibus afflati morbis, vt insalubria quàm salubria, id est, quæ placent, quàm quæ prosunt, fucatæ Philosophiæ, quàm synceræ sapientiæ, delirantium *Gentilium*, quàm prudentium *Christianorum*, caliginum & vitiorum & errorum, quàm lucis & virtutis & veritatis elementa dicam, an venena potiùs percipere malimus. Quid est melle gustatu suauius? at hominibus affectis *morbo Regio* videtur mel amarum, felle vesci gratius. Ecquis carbones putat salubres? at à mulierculis *Picâ* laborantibus cretam & carbones, tanquam nectar & ambrosiam, desyderari tradunt. Corrupti stomachi corrupta cupiunt; & lippi oculi tenebrosa quærunt; nunquam omnibus placent optima, neq; tamen cessant esse optima. Non, quasi negem, etiam in *Philosophis* esse, quàm optima;

tima; sed ita, vt hæc optima pessimis sint admixta. Habent pabula, sed inter venena. Tradunt sapientiam, sed adulteratam. Nam cum sapientiam & *Dei* & nostri scientiam esse deceat, ea dicunt de nobis, quæ faciunt vt abiectiùs sentiamus de *Deo*; ea de *Deo*, quæ faciunt vt superbiùs cogitemus de nobis. At sunt *Philosophiæ* delitiæ; non pugnabo. At *Christus est verus panis*; quis negabit? illæ magis placent, sed iste magis pascit. Quid igitur? Egóne vos tandem (*Adolescentes Ornatissimi*) quasi pueros admoneam, vt panem. i. *Christum*, ad omnem cibum. i. artem seu prudenter loquendi, seu sentiendi sapienter adhibendum memineritis? Etsi vestra mihi pietas dissuadeat, ne faciam, (quid enim opus calcaribus currenti? tamen meum me promissum instigat, vt suscipiam, quæ reliqua me dicturum de Summo *Aristotelis* Bono recepi. Promisso deesse, sine dubio, sit perfidi; vobis diffidere forsitan sit immodesti. Verùm existimate me non languenti stimulum, sed vincenti plausum.

Qui monet, vt facias, quod iam facis, ille monendo

Laudat

Laudat——Noſtis cætera.

Perinuitus quidem aggredior ad Cauſam, ſi minùs operoſam de Sũmo vitæ Bono, at certè odioſam, aduerſus *Ariſtotelem*: quia quanquam certamen, quoad partem maximam confectum eſt, & veritatem defendere Chriſtiano iucundum eſt; tamen offendere quos ames, moleſtum eſt, & fruſtrà ſine fructu ingrata dicere acerbum eſt. Quid enim proficiam, ſi rationibus euidentiſſimis, *Ariſtotelis infelicem*, vt appellat *Auguſtinus*, *felicitatem* improbauero? Qui ſunt periti, me tacente, perſpicient; qui ſunt modeſti, me dicente, agnoſcent; qui ſunt peruerſi, me docente, negabunt: habeo tamen, quod maximè optandum eſt, & confitentes reos, & certam victoriam: vt, quod ait quidam apud *Ariſtophanem*, *Non perſuadebis, etiamſi perſuaſeris*: ſic ego mihi videar poſſe dicere, vincam cauſam, etiamſi non vicero. Nam, quod ipſi fatentur, *Ariſtotelis* Beatitudinem, non eſſe veram Beatitudinem, propterea quòd *Chriſtus* non in caducis, ſed æternis bonis, non in mortali, ſed cœleſti vitâ nobis eam aſſignauit; hoc eſt,

quod

quod postulo. Quod autem est consequens, vt mendax *Aristotelis* opinio ex ipsis *Aristotelis* Principijs refellatur, etiamsi fortassis obtineri non possit, tamen habeo, quod postulo. Nam *Aristotelem*, quòd à CHRISTO differentiat, errâsse arguo; errâsse concedunt: & hoc est quod postulo. Sed addunt *Aristotelem* nescijsse CHRISTVM; locutum esse vt Philosophorum; idipsum arguo, & idcircò postulo; nos quum CHRISTVM veritatem esse sciamus, & ignotam *Aristoteli* veritatem sciamus, qui puram summi DEI veritatem cognoscimus, cur putidam homuncionis vanitatem defendimus? Ad istum quasi scopum solum collimo. Nam quoniam cum præfractis hominibus res agitur, ita meæ Causæ caput constituo, vt si non vincam quod statui ego, tamen id vincam quod vnum specto. Reprehenditur *Diuus Cyprianus* à * *Lactantio*, quòd aggressus hominem *Ethnicum Demetrianum* refellere, Scripturæ testimonijs, quam ille contemnebat, solis vteretur, cùm humanis potius fuisset agendum vt *Philosophicis* & *Historicis* suis ipsius Autoribus refelleretur.

* *Diuin. inst. l. 5. c. 4.*

retur. In nobis secùs est; cum illis enim agitur, quibuscum videatur potiùs agendum Sacris. Sed quoniam fatentur, illis se vinci, quod cum fatentur, fatentur omnia, miretur quis meritò, quem falli confitentur, cur eum vrgeant non posse suis Principijs refelli? Quid si non possit? annon satis hostem iugulari, nisi suo ipsius iuguletur gladio? Quid si gladius ipsius sit plumbeus, & hic noster Achilleus? tamen nè gloriaberis eum *Achillis* gladio confectum esse, suo cõfici non potuisse? Egregiam verò laudem! *Aristoteles*, Dei testimonio vincitur, sui ipsius vinci non potest, nisi in seipsum dicat testimonium? Nihil ratio, nihil veritas, nihil autoritas Dei valebit? Mihi sanè periniqua videtur postulatio, vt suis *Aristoteles* refellatur Principijs. Quum enim ipsa sunt Principia, de quorum veritate controuersia mouetur; petit Principium, more Sophistarum, qui petit id concedi, quo de controuersamur. Ita verò, si *Epicuro* concedas sua Principia, *Voluptatem Summum Bonum*; & cætera, quæ sequuntur, difficulter probaueris ex ijsdem Principijs, non esse

esse Summum Bonum, quòd ipsum esse Summum Bonum concesseris. Sed ineptum est illud eorum Principium, *Contra Principia negantem non esse disputandum.* Nam cum *Aristoteles* omnium *Philosophorum* Principia labefactet, vnde mihi hoc priuilegium, vt in ipso sit iniquum, quod in alijs est æquissimum. An si quisquam *Aristoteli Platonicus* dixisset; *Tunè contra Platonis Ideas? Contra principia negantem, non disputabimus;* Putetis *Aristotelem* ob eas causas *Platonis* Ideas reprehendere defiturum? Aut si nihilominùs defiturus non erat; cur id concedam Principijs *Aristotelis*, quod ipse Magistri Principijs non concessit? *Aristoteles* (credo) *Dictator* est creatus sine prouocatione. Nam ipsius quidem *Interpretes* sunt simillimi *Tribunorum Plebis*, multi furiosi, sed omnes sacrosancti; neutri sine crimine læsæ Maiestatis attingi possunt. Verùm enimuerò, si missis ineptijs, veritatis studio, sine præiudicio rem ipsam expendamus, *Aristotelem* profectò, non solum falsa, sed etiam sibi ipsi repugnantia cum [z] *Lactantio* sentiemus. Quum enim Summum Bonum extremum esse

[z] *Diu inſtit. lib. 1. c. 5. & l 5. c 3.*

esse debeat, quò cuncta benè viuendi consilia sint referenda; ita vt ad ipsum omnia referantur, ipsum autem nusquam: *Aristoteles* vel plura Summa Bona statuit (quo quid potest esse peruersius?) vel ita sententiâ constituendâ fluctuat, vt aliàs in *sapientiâ contemplandâ*, aliàs in *virtutis actionibus*, nonnunquam in *solis Animi bonis*, nonnunquam in *triplici Bonorũ* complexione collocet. Quæ dixerit, conciliare, non est cuiusquam; quid senserit definire, non est meum. Sequar opinionem maximè receptam, quam illi [a] *M. Tullius*, & [b] *Laertius*, ascribunt, & ipse in [c] *Rhetoribus* expressè proponit esse *tria bonorum genera*; Prima *animi*, secunda *corporis*; *externa* tertia: ex quorum complexione, beatam vitam confici. Ac iste quidem omnium bonorum chorus ad vitam beatam vnâ concurrentium, præclaras imagines constituit ante oculos, quasi necessariò Summum sit Bonum, quod ex tot ac tantis bonis coagmentetur. Cæterùm si mentem ab inani specie ad veritatem traduxerimus, istius chori vel malam esse, vel nullam posse fingi harmoniam liquidò patebit.

a *Tusc. l. 5. & de fin. 4.*
b *In Arist.*
c *L. 1. c. 5.*

Quid

Quid enim? potéstne Summum Bonum esse hominis, quod in hominem non cadat? an potest in vllum mortalem cadere omnium bonorum cõplexio? si non possit; hæc videntur verba Philosophi, an vota furiosi? si possit; in quem omnium vnquam cecidit? si in neminem; qui potest igitur esse felicitas? Nam eam *Aristoteles* vult esse πολύκοινον communem cum multis. Aut igitur erit communis cum multis, aut non erit iudicanda felicitas. Communem cũ multis esse dicere, quam nullus mortalium hactenus sit adeptus, vel inepti est, vel imprudentis. Consequens est, vt ipsius *Aristotelis* iudicio, felicitas *Aristotelis*, non sit felicitas. Nam vbi gentium istam *Pandoram* reperiemus, omnibus bonis, animi, corporis, externis, cumulatam? Quantò prudentiùs *Pindarus* Poeta, quàm *Aristoteles* Philosophus! *Alys alia tribuuntur bona; alys aly dotibus eminent; nulli solida venit felicitas; ad bona singula dat mala gemina, magnus miseris Deus hominibus.* Sic sunt humana! nec vlla tellus omnia profert, nec vllus omnia mortalis capit: vt nihil sit verius, quam quod *Polydamas* apud

apud *Homerum* affirmat *Hectori.*

Il. ad. 13. *Non tibi, non vlli, tribui licet omnia soli;*
Diuersis diuersa DEVS *sua dona diremit.*
Hic mente, ille manu, formâ alter, & alter ab armis,
Alter ab ingenio nomen tulit, alter ab arte.

Sit *Homerus* instar omnium, cum suffragatur veritati. Nam infinitus essem, si recenserem vel doctissimorum hominum iudicia, vel præstantissimorum Heroüm exempla, quorum & dictis & factis demonstretur, nec vllum hominem omnibus bonis vnquam ornatum, & omnes homines plurimis malis semper oppressos. Eâque propter *Ethnici* ne *Deos* quidem suos *Aristotelis* Beatitudinem assecutos putârunt: Formosam *Venerem*, sed adulteram; robustum *Martem*, sed homicidam; regnantem *Iouem*, sed impurissimum; furem *Mercurium*, *Bacchum* temulentum, claudum *Mulciberum*, *Saturnum* exulem, alios alijs, omnes nonnullis, aut vitijs, aut miserijs, grauiter funestatos. Quod illi *Dijs* suis affingere non sunt ausi, id nos in hominibus, vt eueniat,

ueniat, ſperabimus? Equidem, vt omnia mente percurram, videre non poſſum, quomodo quiſquam iſtius felicitatis capax ſit mortalium; non impij, quia conſcelerati; non pij, quia calamitoſi; non potentes, quia ſuperbi; non infirmi, quia contempti; non pueri, propter ætatem; non fœminæ, propter ſexum; non Chriſtiani, ptopter ærumnas; non profani, propter errores; non Papiſtarum raſi greges, quia cœlibes, non qui coniugio vinciuntur, quia ſolliciti; non ignobiles, deformes, egentes, imbecilles; non quibus liberi, vel nulli ſunt, vel mali ſunt, vel mortui ſunt; quid multa? nemo; niſi fortaſſe quis commutetur in Cornucopiam, quam vnâm bona cuncta complexam eſſe ferunt: nam homines qui poſſunt? Iuuenes nondum ſapiunt, ſunt imperiti; ſenes iam ſapiunt, ſunt bis pueri, quidam nunquã ſapiunt, ſunt infatuati; nulli ſemper ſapiunt, ſunt homines, i. cœci, ſeduci poſſunt, errare ſolent; formoſi, minùs plerunq; firmi; robuſti, minùs plerunq; pulchri; opulenti, minùs plerunq; probi; qui citò moriuntur, non ſunt longæui; qui ſunt longæui,

multa

multa vident, quæ nollent; qui multos habent liberos, multas habent curas; multos inimicos, qui multos amicos; qui multas opes, multos angores; in summâ (quid enim lucem inferam Soli?) verissimum puto vetus Prouerbium, *Nihil ab omni parte beatum.* Quamobrem si cuncta, quæ numerantur in bonis, in eodem inesse nullo modo possint, potestnè fieri, vt quisquam ex *Aristotele* beatus videatur? Omnia porrò bona in eodem mortali, & simul esse posse, & diu persistere, vt ineptè pertinax fuerit, qui dixerit, sic *Aristotelem* deseriit, qui negauerit. Nam omnes certè beati esse volumus; itaque naturalis est appetitus; si naturalis, non igitur inanis; atqui inanis est, si nemo consequitur; ergò aliquis consequitur; at *Aristotelis* beatitudinem nemo consequitur: non est igitur beatitudo. Nam Beatitudo communis multis esse debet, sic *Aristoteles*; Bonorum omnium complexio communis est nemini, sic experientia: quid consequatur, vos videritis. Planè si quæritis, quid ego sentiam, ARISTOTELIS *felicem*, & *Arabiæ Phœnicem*, germanos fratres esse puto.

puto. Multi multa de illis sæpè iactant, sed nemo alterutrum illorum esse vnquam vidit. Quod si possent in eundem omnia bona cadere, tamen non conficerent omnia Summum Bonum. Nam quæcunque bona cadunt in hominem, augeri certè possunt, vt prudens prudentior, & dives ditior euadat; quod augeri potest, id summum non est: ita si summum bonum cadat in hominem, erit summo superius aliquid, cóque summum non erit summum; quo quid dici potest absurdius? Iam verò bona multa requiruntur, ad beatæ vitæ perfectionem, non solùm, quæ tradunt docti non posse iungi, vt corpus procerum, senectus facilis, quæ HIPPOCRATES; insignes, & facultates, & virtutes, quæ PLATO; amici boni & amici multi, quæ PLVTARCHVS cohærere posse negat: verùm etiam, quæ cum ab *Aristotele* coniungantur, ab eodem *Aristotele* coniungi posse, pernegantur. *Aristotelis* Orator *Rhetoric.* 1°. vult hominem beatum & multis & probis amicis instrui: *Aristotelis* Philosophus *Ethic.* 9°. docet non posse cum multis bonis amicitiam suscipi. *Aristotelis*

telis Orator *Rhetor.* 2°. qui magnis ſunt diuitijs, eos magnis eſſe vitijs præditos affirmat: *Ariſtotelis* Philoſophus *Eth.* 10. felicem ſuum & *Craſſo* ditiorem, & *Catone* meliorem eſſe affirmat. Vter *Ariſtoteles* ex iſtis fallitur? Si benè Philoſophus, malè Orator: ſi benè Orator, malè Philoſophus. Non enim, puto, reuiuiſcet illa vetus & veternoſa diſtinctio, veritatis *Rhetoricæ*, & veritatis *Philoſophicæ*. Quid? quod *Ariſtoteles*, cum honorem reijcit, vt ab alijs prudentem, ſummum illud bonum nobis proprium eſſe ſtatuit, nobis aptum; in nobis ſitum vt totum eſſe poſſit; atque fœlici, ſuum gradum vt obtineat, quàm multa ſunt præſtanda; parentes, vt genere ſint nobiles; coniux, vt liberis ſit fœcunda; filij, vt probitate præſtent; prædones, ne diuitijs ſpolietur; amici, vt feratur in oculis; inimici, infamiâ ne tangatur; homines apud omnes vt conſequatur gloriam; DEVS ipſe, vt fœlix perſcueret. Optata ſomniantium ſunt iſta, non ſapientium decreta. Nam quòd eandem omnium bonorum affluentiam, non ad tempus exiguum, ſed ad integrum vitæ curſum

sum adesse cupit, haud stultè sapit, meâ quidem sententiâ. Sed audistis opinor responsum Pueri, qui, cum Herus rogaret esurientem, annon libenter capone vesceretur? certè, inquit, Here, si haberem. Non præclarum est in omnibus semper esse bonis? ita sine dubio, si possemus. Verùm si bonis omnibus DEI prouidentiâ mala permiscentur, quod Dolijs bonorum & malorũ à [a] *Principe Poetarum* eleganter est expressum, quis illi DEVS & diuidendi, & eligendi potestatem faciet, vt mala respuat, assumat bona? *Romani* veteres, impiè quidem cultu, prudenter sensu, duas angorum & voluptatum *Deas*, [b] *Angeroniam* & *Volupiam*, ita colebant, vt *Angeroniæ* Pontifices in sacello *Volupiæ*, & *Angeroniæ* simulachrum in arâ *Volupiæ* collocarent: quo significarent angores voluptatibus, dolorem gaudijs in humanâ vitâ semper temerari. Vt non sine causâ Rex *Ægypti* [a] *Amasis*, cum audiret *Polycratem* sine vllo infortunio summis semper vsum esse prosperitatibus, fieri non posse dixerit, quin prosperè semper viuens miserè tandem moreretur. Quod & euenit.

a *Hom. Il. 24*

b *Macrob. Saturn. l. 1. c. 10*

a *Herod. in Thalio.*

Nam

Nam auri potiundi spe delinitus, à *Prætore Darij* Cruci suffixus est. Extat huius *Amasidis* apud *Herodotum* ad *Polycratem Epistola*; quâ sibi tantas illius prosperitates non placere testatur, seq; optare, vt, sibi & suis, modò aduersæ, modò prosperæ contingant; atq; illic suadet *Polycrati*, vt aliquâ ipse sibi calamitate accersat, nunquã euenisse, qui per omnia fœlix esset, quin is ad extremum malè funditùs periret. Prudenter *Amasis*, & accommodatè ad illud *Palinuri*;

Mene salis placidi vultum, fluctusq; quietos
Ignorare iubes?

Sunt enim, vt mari, sic vitæ, sui fluctus quandoq; placidi, plerumque turbidi. Itaq; mihi sanè videtur *Aristoteles*, cum in omni vitâ perpetuam prosperitatem *Felici* suo tribuit, proinde facere, vt *M. Lepidus*, qui cùm, cæteris in agro laborantibus, in herbâ ipse recubuisset. *Vtinam*, inquit, *hoc esset laborare!* Quanto sapientiùs didicisset à Pythagora, angustam & asperam esse viam, quæ ducit ad vitam beatam? Nam, vt nunc quidem est, optari ab eo, sicut à *Lepido*, quæ haberi non possunt. S

bono

bonorum omnium coniunctio minùs docet, saltem in solis opibus mecum recognoscite. Vult opes esse beato tantas, quantæ sufficiant, & sibi & parentibus, & vxori, & liberis, & amicis, & ciuibus. Non hîc dicam, quod si dicam, dicam meritò! Natura pauciſſimis est contenta; cupiditas infinitis non satiatur. *Quam multis*, inquit *Socrates*, *ego non egeo*! *Vis fieri diues*, *Pontice*, *nil cupias*. Sufficiunt quidem omnibus opes modicæ; sed *Aristotelis* cupiditati non sufficiunt. *Oportet* inquit, *habeat*, *quâ felix sit futurus*, *& nummos multos*, *& terram amplam*, *& præclara prædia*. Nimium postulas. At ne dum satis est, *Habeat etiam supellectilem*, *& pecudes*, *& mancipia*. Perge porrò; *multitudine*, *& magnitudine*, *& pulchritudine cæteris omnibus præcellentia*. Num his contentus est? *Minimè verò*, inquit, *nisi sint etiam*, *& certæ*, *& suæ via*, *& vtilia*: *certa*, *vt amitti nequeant*; *suæ via*, *vt voluptatem afferant*; *vtilia*, *vt sint emolumento*. Dixisti pulchrè, nunquam vidi melius consilium dari. Si tales esse debeant felices, diuitiæ valeant, & *Cræsi*, & *Crassi*, & *Midæ*: Quibus vt opes

suæ suaues fuerunt & vtiles, certæ tamen nec erant, nec esse poterant. Ah tu! de ijs loqueris, qui fuerunt, aut esse possunt? *Aristotelis* Felix est

a *Ouid. Met. l. 7.* *Hasta* a *Cephali*,
Consequitur quodcunq; petit.

b *Met. 9.* Est similimus b Amaltheæ cornui, nisi quòd est paulò mollior. Quicquid potes, exopta boni, in eo reperies. Vel potiùs est similimus peregrinæ illius auis, quam vocant c *Auem Dei*. Reperitur in Nouis Insulis: pascitur rore cœli; nunquàm attingit terram, pedibus prorsus caret.

c *Aldrouand. Ornitholog. l. 12. c. 21.*

Est *Stoicus, sapiens*,
Diues, honoratus, liber, Rex denique Regum.
Præcipuè sanus, nisi cum pituita molesta est.

Est Porcus Troianus, in quo mirabiliter variæ animantium species includebantur. Est *Pindari Ceneus*, qui cum nullo modo sauciari posset, percussit pede terram, & terram subijt invulneratus. Aut si nihil horum est, non dissimilis, (videbitur humilius fortasse, quod dicam (sed est non dissimilis otiosi nebulonis, qui se in cubitum reclinans, & fastigium suspiciens

ciens, *O si habcrem*, inquit, *hanc Aulam plenam auri*! Certè faciliùs quisquis es, consequêris, quàm homo quisquam opes eiusmodi, quales Felici *Aristoteles* ascribit. Veruntamen si votis est agendum, quàm vellem Felix *Aristotelis* fuisset natus tempore *Paracelsi*! quem prædicâsse accepi, *si quis committeretur ei ab incunabulis educandus, qualem oportet*, (optaret puto, Felicem *Aristotelis*) *se perfecturum pharmacis, vt nunquam moreretur*. Nunc *Aristotelis* Felix si extiterit, quoniam *Paracelsus* Medicus est mortuus; moriatur est necesse. Vt sit mortalis quidem, tamdiu tamen viuat, concedamus si modò vultis, (erit enim talis, qualem nos fingimus) quamdiu vixit *Ioannes de Temporibus*, quem tradit *Æmilius* in *Historiâ Gallicâ* proximis istis seculis in *Galliâ* vixisse plusquam trecentos annos; superauit *Nestorem*: vlteriùs ne speret Felix. Sed redeamus ad *Aristotelem*. In quo cùm multa mihi non optimè cohærere videantur; tum nihil magis, quàm quòd felicitatis stabilem & firmam possessionem esse statuit, cum tamen fortunæ, quâ nihil instabilius, eam subiiciat.

ijciat. Corporis ſcilicèt & externa bona gemina felicitatis ſuæ membra facit; rerum autem externarum & ad corpus pertinentium Dominam *Fortunam* facit. Quid indignius *Philoſopho*? quid ſummo Bono alienius? Nimirùm hinc effluxit ille error *Ciceronis*, qui 2°. *de Officijs*, *Magnam eſſe*, ait, *fortunæ poteſtatem in vtrãq; partem, tum ad ſecunda res, tum aduerſas, quis ignorat? nam & cum proſpero eius flatu vtimur, ad exitus preuehimur optatos, & cum reflauit, affligimur.* Quis tandem neſcit? *Ego verò neſcio*, inquit, [a] *Lactantius*; *doceat me, ſi poſſit) quæ ſit illa vis, qui flatus iſte, & qui reflatus.* Quò mihi magis venit in mentem ſæpe mirari, quid ſibi voluerit, qui magnificum illud *Londini* Domicilium, quò Mercatores conueniunt, erexit, quòd multis locis, verbis Gallicis, aſcribi voluit. *Fortuna Fautrix.* Quid hoc eſt aliud, quàm quod diſplicet *Baſilio*, reprehenditur ab *Auguſtino*, *Sic Fortuna voluit.* Exclamet, ſi volet, *Pamphilus Terentianus*, *O Fortuna, fortuna, vt nunquam perpetuò es bona!* Quin tu potius *Pamphile*, *Pamphile*, vt nunquam perpetuò es ſapiens?

[a] *Diuin. inſt. l. 4. c. 29.*

Teren. in Heaut. act. 3. ſc. 3.

fortuna

fortuna non solùm cœca, verùm etiam surda est; non audit querelas tuas. Verum exclamet vt dixi, *Pamphilus*; *M.* verò *Ciceronem*, Parentem Patriæ, fractum *Tulliolæ* morte vociferari, *Cedo, fortuna; vicisti*; *manum tollo*: num est ferendum? Vbi sunt illæ Nonæ Decembres? Vbi constans animus? Vbi nobilis Consulatus? Ita suam causam cum fortunâ conqueritur, vt *Aiax* ille *Sophocleus* cum Sole, vel potiùs a Polyphemus Homericus cum ariete,

a *Hom. Od 9.*

O mi aries, cur egrederis postremus ab antro?

At enim *Cicero* popularis Orator; quid *Aristoteles* summus Philosophus? *Philosophus* à fortunâ res humanas, felicitatem à fortunâ Philosophus respondet. Sed non est admodum mirandum eum, qui *diuinam* ex humanis *Prouidentiam* reiecisset, cœcum, ad cœcam *Fortunam* relegare & mundi Imperium & nostri dominatum. Hoc *Aristoteles* se facere negat, sed res reclamat, & verè *Cicero, non potest, qui bona diuidit tripartitò vel corporis firmitati, vel fortunæ stabilitati confidere.* Atqui nisi stabili, fixo, permanente bono, beatus esse

nemo poteſt. Hìc ego, ſi non ipſum *Ariſtotelem* ex *Ariſtotele* propoſuiſſem vrgendum, ſi rei veritatem, rationum ſolùm examine ponderarem, quàm multa poſſim non ſolùm è profanis, verùm etiam è ſacris ad iſtum errorem conuellendum afferre? Deorum *Ariſtotelis* reſponſa, vt *Apollinis*, & *Iouis*, qui non viuos ſed mortuos beatos eſſe ſtatuerunt: Præſtantium virorum teſtimonia, vt *Socratis*, & *Solonis*, qui pauperes opulentis feliciores iudicârunt, Naturas hominum, qui tanquam equi, quò ſaginantur copioſiùs, eò ſunt ferociores: Miſerias diuitum, quas eſſe maximas, ſtulti neſciunt, ipſi ſentiunt. Felicitates *Syllarum*, quæ ſplendorem habent titulis, ſed cruciatum ferunt animis: conditionem priuatorum, quam potentiæ præferendam eleganter & luculenter à *Xenophonte* demonſtratum eſt: Sapientiſſimi *Solonis* votum, qui vt inopiam, ſic & copiam noluit ſibi à *Deo* tribui: Autoritatem *Sanctorum Patrum*, *Auguſtini*, *Euſebij*, *Nazianzeni*, aliorum, quos ante docui deteſtari hunc *Ariſtotelis* errorem: Deniq; Sacroſanctum præpotentis DEI verbum, in

quo

quo Beatitudo per ærumnas huius vitæ ſperanda viuis, fruenda mortuis, contrà profanas Philoſophorum nugas, à *Chriſto* proponitur. Quid igitur agemus? An iſtos nihilominùs *Ariſtotelis* errores eſſe veritates pertinaciter aſſeremus? fruſtra! non enim vt *Midas* lutum in aurum manus contactu, ita nos etiam falſum in verum ſolius vocis afflatu mutare poſſumus. Atque id quidem non *Ariſtotelem* ſed *Anaxagoram* ſit imitari, qui niues aſſeruit eſſe atramentum: vel potiùs illum fatuum *Ferrarienſem*, qui, cum eſſet perſuaſus ſe vagari abſque animâ, & Medicus id fieri non poſſe firmiſſimis rationibus vrgeret, concedebat ſemper, quæ Medicus aſſumebat, verùm cum inferret concluſionem, totum illud ſe negare dicebat. Quid ergò? an potiùs agemus *Diſtinctionibus*, & veritatem *Chriſtianam* à nobis ablegabimus, veritatem *Philoſophicam Ariſtoteli* relinquemus? Quorſum? Vt enim apud *Tullium Tanagræa* meretrix conſecrata eſt à *Clodio* quaſi *Dea Libertas*, & ad tempus culta, ſed tandem conculcata, vt *Tanagræa meretrix*: Ita licet

error *Aristoteleus* ornetur à nobis nomine veritatis, & ad tempus colatur, ad extremum tamen erit error *Aristoteleus*. Ad istas inanes *Distinctionis* nubeculas dissipandas, *veritatem Theologicam* & *veritatem Philosophicam*, i. veram veritatem, & veritatem falsam; *felicitatem cœlestem* & *felicitatem ciuilem*, i. felicem felicitatem, & felicitatem miseram, anteà verba feci: quæ quoniam *Aristotelis* cultores refellere fortasse nolunt, fortasse nequeunt, non est opus vel vt confutem magis, vel vt iterum iterem. Tantùm adijcio tales *distinctiones* videri doctis viris impietatis inuoluere, quum apertè, quæ non audent, ne habeantur Athei, sub colore tamen negent, vt errorem tueantur. Sic *Petrus Aponiensis*, cum multis de rebus magicis abominanda vomuisset, adiecit ea cuncta se dixisse tantùm *topicè*; num eò minùs à *Pico Mirandula* vt impius exagitatur? sic solent alij defendere, quæ fatentur ipsi esse impia, modò dicant se defendere *quoad lumen rationis*: num eò minus reprehenduntur à *Ludouico Viue*, vt blasphemi? Sic audent *Itali*, (quid autem illi non audeant?)

De veris. fid. l. 1.

audeant?) execranda ſcriptis in orbem diſſipare; vt *Caſa*, ſed poeticè, vt ait *Hardingus*, vt *Pomponatius*, ſed Philoſophicè ſic ipſe diſtinguit; neuter Theologicè, quod facilè credo, ſed vterq; ſacrilegè; diſtinguant, quantum velint. Num vt *Epicurus*, naturam minimis reipſâ ſuſtulit, oratione reliquit, ne damnaretur impietatis; ſic iſti fanatici, neſceleris coarguantur reipſâ tollunt, oratione relinquunt religionem *Chriſtianam*. Et quanquam mihi de vobis omnibus, *Fratres mei*, multò meliora promitto, vt debeo, tamen cur obſecro in rebus maximis, de formandis moribus, de Summo vitæ Bono, quæ tantũ vt oportet, à *Deo* diſci poſſunt, errores hominũ defendimus; ſi ſeriò, quid impurius? ſi ioco, quid inſulſius? Nemo ſe decipiat; *Deus* non deridetur. Mala & impia eſt conſuetudo contra *Deũ* diſputãdi, ſiue ex animo, ſiue ſimulatè. Hoc ſenſit *Ethnicus*; quid nobis cogitandũ erit? ſi quis ſerpentẽ quẽ vocant *Dryſinũ*, occidere conatur, tradunt eum, qui fuerit id aggreſſus, eo ſtupore ſtatim percelli, vt putet omnia benè olentia malè olere, nec aliud quicquam odoratum

posteà percipere valere. Certe, qui conantur cum extinguere, quem serpens à *Moſe* ſublatus in deſertò nobis repræſentauit, tantâ iudicij ſtupiditate hebeſcunt, vt quicquid pietatem ſapit, inſipidum, fragrantem Euangelij odorem malè olentem putent, nec quicquam in leuioribus prudenti diſcernere iudicio poſſint. Scio in vobis, *Adoleſcentes optimi*, eam eſſe pietatem, vt nihil minùs, cum falſa defenditis, quàm hoc conemini: ſed quid agatur, parùm attenditis; ſecùs venit vſu ac vos ſperatis. *Cicero* pro *Muræna* contra *Catonem* verba faciens, *At enim*, inquit, *te ad accuſandum reſpub. adduxit: credo*, Cato, *te iſto animo, atq; eâ opinione veniſſe, ſed tu imprudentiâ laberis*. Ita nos adduxit, ad *Ariſtotelem* defendendum, amor ſapientiæ; credo, *fratres*, vos iſto animo, atq; eâ opinione veniſſe, ſed vos imprudentiâ labimini. Vera ſapientia eſt CHRISTI ſapientia, quam iſta, quæ defenditis, non illuſtrant, ſed inquinant. *Ariſtotelis* ſapientia eſt vmbra ſapientiæ, qualis illa Æneæ, ſed ad Turnum eludendum;

dat

—*dat inania verba,* *Virg. Æneid.*
Dat sine mente sonum, gressusque *l. 10.*
effingit euntis.

* *Lactantio* credite, profanos Scriptores etiam in eo esse *perniciosos,* ** Divin. inst.* *l. 5. c. 1.*
quòd incautos animos facilè suauitate sermonis irretiant; mella quidem esse, sed venenum tegentia: coniungendam igitur cum sapientiâ religionem, ne quid inanis illa doctrina (sic appellat Philosophiam) *studiosis officiat.* Sit tandem aliquando finis ineptiarum; quas hactenùs propagatas condonemus consuetudini, deinceps extirpandas concedamus veritati. Qui primas sapientiæ non potuimus, teneamus secundas modestiæ. Sit humanum cecidisse, jacere belluinum, resurgere Christianum. Veritatem & scire & exercere, virtutem & laudare & defendere, vanitatem & odisse & declinare meditemur. Curate seriò, vt bonas horas, ad animos præstantissimis artibus excolendos, sic insumatis, ne, quod minatur *Augustinus,* eueniat, vt *simplices idiotæ rapiant nobis cœlum, & nos cum nostrâ scientiâ mergamur in infernum.* Considerate, quæso, quantum illustrârint

strârint Christianam religionẽ, *Hæroes Ecclesiæ*, qui Philosophorum errores conuellêrunt; quantas illi contra caligines importârint *Sorbonæ* fæcis, qui *Aristotelem* peruersi propugnârunt. Postremò cogitate vobiscum diligenter, vtrùm veritatis defendendæ constantiam à DEO præscriptam, â *Sanctis* expressam, à *Sophistis* contemptam, à *Barbaris* rejectam, nutricem probitatis, scientiæ propagatricem, cum verè Christianis colendam arbitremini; an *Aristotelis* tuendi pertinaciam introductam à *Gotthis*, propagatam à *Dunsis*, reprehensam à Doctis, improbatam à Bonis, ignorantiæ sementem, sentinam imprudentiæ, cum Pseudophilosophis retinere malitis. *Dixi.*

ORATI-

ORATIO IN LAVDEM ARTIS POETICÆ.

SI quantum vel hæc inusitata mihi dicendi ratio, vel vestræ magnitudo fiduciæ detrahit; tantum aut flagrans meæ cupiditatis ardor, aut singularis vestri conspectus jucunditas facultatis adijcere; admirabili potiùs poëseos amplitudine ad dicendum impellerer, quàm inconcinnâ dictionis tenuitate ab instituto retardarer. Verùm cum neq; vestram inexhaustam audiendi auiditatem aridâ orationis meæ jejunitate satiare valeam: & talium adolescentum tanto desiderio, qui satisfaciat, admirandæ cujusdam sit oportet eloquentiæ: vereor ne vel onus ceruicibus imponere, quod laterum infirmitate sustinere non possis, parùm prudentis confidentiæ putetur; vel ita inscienter coram scientissimis de scientiâ dicere, vt sus Mineruam docere velle videaris, nimis insulsæ judicetur.

cetur arrogantiæ. Etenim ſi *M. Antonius* Peripatetico Phormioni grauem impudentiæ notam inuſſit, quòd rei militaris ſcientiam explicaret, audiente *Annibale*; ſi *C. Iulius* admirari ſolebat eorum ora, qui in ſcenâ geſtum agerent, ſpectante *Roſcio*; videbor ego fortaſſe mirùs pudens, illud quidem certè, non nimis verecundus; qui cum tot adſint in poeticâ facultate *Annibales* & *Roſcij*, tamen illuſtrem illius ſublimitatem, exili meæ dictionis infantiâ turpiter deformare, (quid enim ſperem aliud) non admodùm reformidem. Ac ego quidem non eò ſolùm tacitas veſtras cogitationes impenſiùs extimeſco, quòd ipſe mihi conſcius ſim, quàm nihil vigilijs elucubratum afferre poſſim, quod tali conuentu, tam religioſis auribus dignum cenſeatur: ſed illud etiam acriores aculeos ſollicitudinis infligit, quòd expectationis veſtræ ponderi adeò ſuccumbo, vt ſuſcepto munere ſatis accuratè perfungi non poſſim, & id quod non poſſum, ne ſempiternam tarditatis opinionem aſpergat, vereor. Sic enim

ferè

ferè fit peruulgatâ quidem illâ ſed deprauatâ conſuetudine, vt quoties in dicendi paleſtram deſcendimus, toties doctrinæ opinio periclitetur: quoties de ingenio judicia ſubeantur, toties eruditionis exiſtimatio agatur. Quò mihi difficilior perorandi locus, cum præſertim ea, quam concepiſtis de me, opinio non tam ſatisfaciendi cupiditatem attulerit (quanquam id etiam fecit ſatis inflammatè) quàm placendi ſpem & facultatem præciderit, quod mihi certè contigit nimis importunè. Nam tum id ad extremum pertexere non poſſe, quod cum ſpe magnâ ſis exorſus, eſt acerbiſſimum; tum verò illis qui placere cupiunt, nulla poteſt eſſe grauior aduerſaria, quàm expectatio. Quibus quaſi fluctibus moleſtiarum æſtuantem animum, diſtringit etiam ipſius rei difficultas & magnitudo: quod enim tantum ingenij flumen, quantumuis eximio quodam acumine, ſolertiâque longè ſagaciſſimâ tumeſcat, quæ tam excellens dicendi copia, licèt multis orationis inſignibus variata, & delectationis curioſitate perſperſa,

perſperſa, & ſubtilitate artis elimata, vel ſententiarum grauitatem ſatis aptam tanto ſplendori, vel elegantiam verborum ſatis dignam tantâ pulchritudine, vel actionis contentionem ſatis idoneam tantæ majeſtati vllâ ratione poteſt aucupari? An verò dux illuſtriſſimus Alexander ille magnus ab *Apelle* tantùm pingi, à *Lyſippo* fingi voluit, ne à vulgaribus & obſoletis operis non tam illuſtrata quàm obſcurata illius dignitas eſſe videretur: diuinam poëſeôs amplitudinem, quæ vel pigmentis colorari, vel artificio *Demoſthenis* informari debuit, nos à quouis lutulentis barbariæ fæcibus inquinatam ſordeſcere patiemur? Quid enim mihi ad eam eloquentiæ luminibus diſtinguendam libandam relinquitur? Cujus oratio nec lacertis poteſt contendere, quòd authoritate nihil valeat; nec illecebris poteſt delinire, quòd eloquendi careat lepôre; nec aculeis poteſt commouere, quòd à maturitate judicij deferatur. Authoritatem porrò, ætatis infirmitas; lepôrem, ingenij tarditas; judicium, doctrinæ tenuitas, non mediocriter impedit

impedit & infringit. Quare cum singularem poëtices excellentiam satis illuminatè decorare nequeam faciendum erat potiùs, vt quemadmodum *Timanthes* ille pictor in immolandâ *Iphigeniâ* caput *Agamemnoni* obuoluendum putauit, quòd immensam mœroris acerbitatem penicillo non poterat exprimere ; sic nos poëticam silentio prætermittendâ censeremus, quòd infinitam illius magnificentiam vix cogitando consequi valeamus. Nam mihi sanè non ineptè videtur, feciſſe *Ageſilaus*, qui cùm & re militari, & omnibus virtutibus ſuis æqualibus anteſtaret, nullam ſui vel depictam vel effictam imaginem eſſe voluit. Quod ille ſibi generosè ſumpſit, vt opificum ſimulachris ſuam effigiem repræſentari grauaretur, quòd eam nullius artificio imitabilem judicaret; Id ego quanto juſtiùs poëſi tribuerem, euehendam hominum magis ſilentio quàm præconio, quòd nullis voluminibus pro eo vt debeat ornari valeat. Nimirùm vt virtutis in *Ageſilao* formoſitas, ita in poëſi *diuinitatis* amplitudo, prorſùs omnibus

nobis omnium laudibus antecellet. Hæc igitur tot ac tanta me deterrebant; & erat cur vehementer admodùm deterrerent, verùm terrorem vicit necessitas, vt etiamsi nihil ad hunc conuentum, nisi & ingenio exquisitè perfectum, & industriâ diligenter limatum, & elegantiâ luculentè politum, afferri opportere existimârim: tamen nec officij rationem potuerim quin haberem; nec veteri consuetudini deesse debuerim; nec expectationem vestram ludificari voluerim. Aggrediar igitur ad illius formam adumbratione quadam exprimendam, cujus lineamenta Protogenis coloribus erant effingenda: sed aggrediar non tam spe perficiendi, quàm experiundi studio, vt potiùs cum officio morem gesserim, desideretur in me prudentia, quàm si id non fecerim beneuolentia requiratur. Cæterùm quò minùs exercitatione dicendi possum, eò libentiùs in vestræ humanitatis portu conquiesco. Cujus perfugio, idcirco, vti spero, securiùs perfruar; quod & natura vobis afferat, vt illis faueatis, qui ingrediuntur eadem

dem pericula, quibus aut perfunge-
mini, aut jam perfuncti estis, & mo-
tum mansuetudo faciat, vt cunctos
pueatis, qui varijs difficultatibus
conflictati., ad vestram lenitatis a-
ram confugiunt. Quare quod vul-
u mihi pollicemini, id, audiendi
acilitate comprobetis, quæso; vt
mihi primas anchoras soluenti be-
nè velitis, quod est comitatis; quæ
beneuolè dicuntur, candidè inter-
pretemini, quod est æquitatis; si-
qua displicebunt ponderetis sapi-
enter, quod est prudentiæ. Illud
mum imprimis magnoperè peto,
vt qnemadmodum qui *Platonis* li-
bros in manus sumunt, etiamsi sic
cribantur, vt nihil possit copiosius,
amen altius quiddam suspicantur
de *Socrate*, quàm quantum illius
criptis vberrimis adumbratur; sic
qui poëticæ laudes accipietis, e-
iamsi sic dicantur, vt meæ angu-
stiæ nihil habeant augustius; ta-
men honorificentiùs de illâ sentia-
tis, quàm quantum tenuis nostra
dictiuncula persuadebit. Nam ad
illius laudes commemorandas ac-
cedo non qui optimè valeam, sed
qui maximè cupiam; non qui pos-
sim

sim disertissimè, sed qui velim libentissimè illius ornamenta reddere quàm ornatissima; vt si minùs egregius orator contigisse, saltem benevolus laudator non defuisse poëticæ videatur. Quòd si instituti operis magnitudinem infœcundâ ingenij siccitate non assequor (quanquam quî possim assequi?) meam voluntatem collaudate, qui si minùs vt debui, certè vt potui, officio meo sum obsequutus. Rei difficultatem accusatote, cujus *dignitatem* sic ambiunt omnia, vt nullis possit eloquentiæ cancellis circumscribi. Atque cum in amplum dicendi campum ingrediatur oratio, ne vel nimis angusto decurrat alveo, vel ita redundet vt extra ripas diffluat, his objectis aggeribus eam coërcebo: Primùm dicam, quâ ex origine poetica dimanavit; deinde quâ dignitate, quo splendore fulgeat; postremò quibus commodis & fructibus efflorescat: vt origine divinam; dignitate præstantem; utilitate necessariam esse videant sapientes: modesti fateantur. Ac origo quidam est ejusmodi, vt quocunque cogitationis aciem conuerterimus; nihil

nihil nisi summâ prorsus admiratione dignum videamus. Nam si quæramus vnde profluxerit, vel perpendamus quando emerserit, siue cogitemus, quare culta fuerit, eam poeticæ claritatem cuncta magnificè comprobabunt, quâ nihil possit hominum sensus excitare fiagrantiùs. Quis est enim omnium, qui se tantâ stultitiâ tam insigniter infatuârit, aut in tantum insaniam tam furenter proruperit, vt cum intueatur animo cœlum ipsum, splendidissimum præpotentis Dei domicilium, poëtices quasi parentem extitisse, non incredibiliter suspiciat & obstupescat? Namque poëtarum facultas, non vt cæterarum rerum studia, literarum doctrinâ constat, sed diuino instillatur afflatu, non ex præceptorum artificio coalescit, sed mentis viribus excitatur; non vsus assiduitate conficitur, sed naturæ præstantiâ comprehenditur: quæ non humanis artibus acquiritur, precipitur, ediscitur; sed instinctu cœlesti inseritur, imprimitur, infunditur: ad quam non docemur, sed nascimur; non instituimur, sed imbuimur; non informa-

formamur, ſed effingimur: cujus vi
non acerrimâ contentione, non
infinitâ diligentiâ, ſed excellentio
ris quodum impetu naturæ arripi
tur, hauritur, exprimitur. Ob eam
que cauſam traditum videmus, qu
ſemel è poëtarum fontibus guſtâ
rint, ſic inflammato mentis ardor
rapi, vt quæ nunquam vel extremi
quidem digitis attigerint, ea tum
ornatiſſimâ ſtyli copiâ proſequan
tur. *Nicander* Colophonius hom
rerum ruſticarum ignarus, & inſo
lens, agri colendi rationem argu
tiſſimis & optimis verſibus explica
uit. *Aratus* in Aſtronomiâ perme
diocriter verſatus, cœlorum mo
tus, ſellarum curſus ita perſtrinxit
quaſi in ipſius Saturni ſinu fuiſſe
educatus. Nam *Heſiodum* poſtorem
in Aſcræis vallibus, repentino Mu
ſarum afflatu correptum, è bubulc
ſordidiſſimo poëtam peritiſſimum
euaſiſſe, quis ignorat? Quòd ſi ni
hil ſit tantâ caligine circumfuſum
tam penitùs in philoſophiæ viſce
ribus reconditum, quod non poë
tæ, quamuis modum prorſus igno
râ rint, tamen explicatiſſimè ſtatim
preſcribant; eritnè quiſquam tam
agreſti

agrestis, aut durus, tam vecors, aut plumbeus, qui non hanc insignem illis facultatem, nullo vel artis, vel laboris adjumento, sed à Deo potiùs furore quodam inseri sibi sit persuasurus? Cæteroqui, cur ea inesset in illorum literis ad excogitandum prudentia; in verbis ad cohortandum efficacitas, in sententijs ad pertrahendum acrimonia, vt quidquid debeant, velint; & quicquid velint, possint; & quia possint, suscipiant, nec solùm summo studio suscipiant, sed etiam summâ cum gloriâ perficiant. Cum Athenienses olim & Megarenses de Salamine contendentes insulâ intestini belli incendio conflagrarent, & vtrumq; imperium grassantibus jam diu dissiduorum flammis ambustum penè concidisset; legem tulerunt Areopagitæ, vt qui de recuperandâ Salamine verba faceret, acerbissimâ continuò morte multaretur: Solon ille sapiens patriæ dedecore, detrimento reipub. ciuium iniuriâ vehementer commotus, ne vel tacendo talem in sues contumeliam acciperet, vel loquendo tantùm sibi capitis periculum

crearet;

crearet; inusitato squallore sordidatus, quasi quadam vesaniâ intemperanter elatus in forum euolat, vbi rapida poëticorum carminum concitatione, sic Athenienſium animos inflammauit; vt edomandos hoſtes, frangendam audaciam vindicandam injuriam, vnâ vniuerſi voce conclamarent. Ita infenſis animis, commiſſo prælio, debellatis Magarenſibus, Athenienſes inſulâ Salamine potiuntur. At Athenienſes fortaſſe leues, vt quauis aurâ quouis impellantur! Quid Lacedæmonij? num vlla natio grauior vnquam, aut conſtantior? Illi Meſenijs bellum inferentes, cum nuntios de rerum euentu ad Apollinis oraculum conſulturos delegâſſent; reſponſum acceperunt Imperatorem ab Athenienſibus eſſe poſtulandum. Athenienſes porrò cum Legatis Lacedæmonijs Senatum dediſſent, & eorum poſtulata cognoſcerent, ſtatuerunt, vt Tyrtæus quidam poëta eximius & præſtans ingenio, ſed homo claudus & corpore perimbecillus, contumeliæ cauſâ, pro duce mitteretur; Cujus ſub auſpicijs, cum tribus prælijs calamitoſâ fortunâ, ita infeliciter eſſet dimi-

dimicatum, vt acciſæ & debilitatæ ſpes Lacedæmoniorum, ad deſperationem ſummam redigerentur; præfecti ne grauiorem plagam reciperent, ſi rurſum ancipites belli caſus experirentur, exercitum reducere decreuerunt, atque adeò reduxiſſent, niſi Tyrtæus interueniens, miſſâ verſuum granditate, quaſi potenti quodam numine tantum militibus ardorem impreſſiſſet, vt repetito certamine, infeſtis ſignis è veſtigio procurrerent, & Meſſeniorum vexillis furibundo impetu conculcatis, ipſos miſerandâ ſtrage perculſos euerterent, conſcinderent diſſiparent. O inexplicabilem poeticæ facultatem! O nunquam ſatis laudatam potentiam! O ſempiternis artem monumentis decorandam! Hæc, hæc nimirùm eſt illa Suada, quæ molles ad pericula, ſocordes ad prælia, timidos ad mortem animoſè oppetendam concitat. Hæc imperitos Iuuenes, inſidioſam voluptatis eſcam aucupantes, ad magna facinora ſuſcipienda, reuocat, *è terreſtrium cœno ſordium ad cœleſtem munditiam facit vt emergant.* Altiora quàm ingenium valeat complecti,

meliora quàm impietas debeat optare, maiora quàm infirmitas audeat, miseris mortalibus hæc eadem pollicetur. Eaq; propter meritò Demosthenes poëtas ad eminentem mentis præstantiam, excedentem humani captum ingenij aspirare judicat; *Æschines* sententias melle dulciores tanquam oracula profundere confirmat; *M. Cicero diuinos* nuncupat, adeóque *sanctos* esse pronuntiat, vt eos nulla vnquam barbaria violárit. Præclarè *Demosthenes!* sapienter *Æschines!* magnificè *Cicero! Aristoteles* poëticâ puerorum rudes animos ad rerum immortalium imitationem informari tradit. *Theophrastus* & linguas, & animos, & verbis, & sententijs, & politè, & prudenter ab ea vult institui. *Plato* quasi nuntios & interpretes deorum delapsos ad profligandas inscientiæ tenebras poetas amplectitur. Luculenter *Aristoteles!* egregiè *Theophrastus!* diuinitùs *Plato!* Quò magis eorum projectam impudentiam reprehendendam censeo, qui cum sensa poëtarum vel ingenij tarditate, vel difficultate rei minùs assequantur, maledictis

&

& conuitijs eos proſcindunt; ex-hominum ſocietate exterminandos eos clamitant. Cùm interim non ſatis habeant in viros ſanctiſſimos contumelias euomere, niſi Platonem etiam, ſcilicet, audaciæ ſuæ ſignifer-rum faciant. Itáne verò, *Plato*, vir, bone Deus! quâ integritate, quan-tâ ſapientiâ! è ciuium ſocietate poëtas exturbat? apud quem toties tam aſſeueranter, ſexcentis in locis in Phædone, diuinitatis præconio celebrantur; quòd eorum teſtimo-nijs confirmetur animorum æterni-tas. In *Alcibiade* ſententias aureas obſcuris ænigmatum inuolucris cir-cumfundere, quæ boni tantum in-telligant, dicuntur. In *Lyſide* cog-nitionis duces, ſcientiarum prin-cipes, ſapientiæ parentes, paren-tes inquam ſapientiæ nominantur. In *Ione* quid tandum aliud docetur, quàm homines poëtico furore cap-tos, diuinâ vi quadam altiùs ex-tolli, quàm qui rerum humana-rum ſtudijs addicuntur. In Apo-logiâ *Socratis* tanti æſtimat cum poëtis colloqui, vt ſæpiùs emori, ſi fieri poſſit optet: quò cum *Or-pheo*, *Muſæo*, *Homero*, *Heſiodo*,

sermones conferat. In Legibus denique poëtarum opera grauissimè perscripta, ad homines adolescentes ingenuis artibus liberaliter instituendos accommodata censentur esse. Postremò de Repub. non *deorum ministri*, quod magnum; sed *deorum vates*, quod maius, sed *deorum filij*, quod maximum, vsurpantur. Id circò prædicandi, quòd virorum præstantium dicta prudenter, facta constanter, ornatè percenseant. Quanquam quid istis commemorandis immoror? Cum præsertim opera *Patonis* poëtarum sententijs vndique quasi stellis illuminata resulgescant. Meritò! Quis enim audeat secùs sentire, cum poësis non solùm hujus excellentis originis amplitudine, quæ planè diuina est; verum etiam, illustrissimis antiquitatum imaginibus, quam venerantur omnes, mirificè commendetur. Nam illi prisci patres, homines sapientiâ & virtute florentissimi, quibus Dei Opt. Max. sermones accipere contigit, ab vltimis seculis ista studia colüerunt. Suas nimirùm cogitationes, non eâ peruulgatâ, & detritâ, & dissolutâ quâ quilibet vteretur

terretur, oratione, consignare; sed aliâ exquisitâ, & astrictâ, & numerosâ, & vinculis illigatâ, præclarum existimârunt. Cùm igitur eam scientiam, quæ morum sanctimoniam præciperet, vitam honestate componeret, vitiorum maculas eluere, virtutis puritatem insereret, animum improbitate purgaret, purgatum pietate imbuerit; eam, inquam, scientiam literarum monimentis posteritati prodere cùm instituerent, maturo consilio, prouidenter admodùm pertimescebant ne contaminatis vulgi manibus attrectata squaleret, si cummuni tractatione, si nudâ simplicitate, si peruulgato sermonis genere proponeretur. Eáque causâ viri firmitate judicij valentes, & tanquam architecti prudentiæ cogitata sua poëmatis tradiderũt; quæ tum festiuâ modorum condecentiâ, & modulatâ numerorum harmoniâ constrinxerunt; tum inuolutis obscuritatis recessibus, & vmbraticis fabularum integumentis opacârunt, quò bonos ad euoluendum allectaret concinnitas, malos ab attingendo deterreret obscuritas. Atque hinc emanârunt poëtarum

figmenta, quæ neſcio quibus ineptis homunculis inepta videantur admodùm, intelligentibus quidem & literatis certè plurimùm, probantur; vt quæ ſapientiam viuâ ſub imagine repræſentare ſoleant. Hinc illa ſacra virtutis myſteria, Mercurianum *Vlyſſes* moly, aureus *Æneæ* ramus, *Hyppolyti* quadrigæ, *Deucalionis* nauigium, Saturnij ſeculi *Aſtræa*, *Stymphalidum* trucidatio, *Helicon Nemeſis*, *Rhadamanthus*, quæque alia præruptum probitatis tramitem adumbrantia percenſentur. Hinc illa dira vitiorum portenta, venenata Circes pocula, Gigantes *Ioui* reluctantes, *Lycaon* Lupus, *Actæon* Ceruus, *Chimæra* Bellerophontis, rapaces *Harpyæ*, *Charibdis*, *Hydra*, *Meduſa*, quæq; innumerabilia fœdam illuuiem, & voraces impuritatis gurgites deſignant. Ac iſta infinitis pœnè ſæculis retrò excogitata fuiſſe docet *M. Tullius* eloquentium prudentiſſimus, prudentium eloquentiſſimus, qui Romanos Græcis temporum vetuſtate multum concedere, apud Græcos autem antiquiſſimum eſſe Poëtarum genus confitetur. Quò minùs mirum

rum videri debet, quòd ex eorum hortis effloruerunt illi ſacri verſus, quos olim Fauni vateſque canebant, vt eſt apud *Ennium*; vaticinationes Sybillinæ apud *Lactantinum*; Saliorum carmina apud *T. Liuium*; diſciplina Druidum apud *Cæſarem*; reſponſa Dodonæa apud *Dionyſium*; apud *Herodotum* oracula Delphica; Spartiatarum cantus apud *Plutarchum*; *Eumolpidarum* ritus apud *Euſtathium*; quibus ex omnibus facilè perſpicitur, homines præſtantes qui diuinis honoribus apud Ethnicos colebantur, ea grauiora ſemper habuiſſe, quæ Poëticis vincta numeris, quàm oratoriâ dictione ſolutâ vſurparentur. Quid, quòd ars Poëtica, ſolertiſſimis ingenijs, cœleſti prouidentiâ, videtur ingenerata, non vt homines vulgari beneficio afficeret; quoniam igitur? vt eos ſcilicet à craſſâ ignorantia ad eruditionem, ab inteſtinis diſſidijs ad amicitiam, ab extremâ turpitudine ad honeſtatem, à barbarâ feritate ad manſuetudinem morum traduceret; quo quid ab vllo tribuo poſſit magnificentius non intelligo.

Etenim cum vniuersum genus humanum, si animum spectes, rerum inscientiâ turpiter oppressum; si concordiam, mutuis vulneribus impiè cruentatum; si mores, dirâ immanitate, truculenter furens; si vitam, nullius iustitiæ legibus obediens; si societatem, in desertis syluis & montibus dissipatum, instar ferarum horridè vagarerur; quod tandem vastum chaos, quàm incompositam rerum molem fuisse judicatis, nisi derepentè poësis extitisset: quæ mentem cognitione, profligatâ inscitiâ; vrbes securitate, extinctâ discordiâ; mores placabilitate, exulante sæuitiâ; vitam æquitate, rerepressâ contumaciâ; cunctos denique amicitiâ, repudiatis dissidijs tanquam *Æsculapij* medicinâ recrearet. Nolite igitur existimare, quod est in fabulis, *Orpheum* canorâ *Citharæ* percussione, commouisse montes, fluuious tenuisse, demulsisse saxa, solitudines pellexisse, mansuefecisse feras, & petraxisse arbores; sed Poëtici cantus dulcedine homines montibus tumidiores sedâsse, fluuijs mobiliores repressisse, duriores saxis mitigâsse, syluis horridiores excoluisse,

isse, domuisse feris immaniores, arborũ truncis stupidiores oblectâsse. Sic Amphion ad ædificanda *Thebarum* mœnia lapides allexit; sic Mercurius mortuorum animas è Tartaro reuocauit; sic *Arion* in mare præcipitatus Delphinum delinuit; sic iterum, *Orpheus* ad horrendas inferni voragines penetrauit, & à plusquam adamantinâ Plutonis duritiâ *Eurydicen* vxorem obtinuit. Quamobrem nè longiùs quàm debeo prolabar: Poëtica è cœlestibus ingenijs emersit; diuinum est, itaque summâ admaratione prosequenda est: temporibus antiquissimis emersit; honorificum est, itaque præclaris honoribus veneranda est: ad homines humanitate imbuendos emersit; singulare est, itaque flagrantissimo studio complectenda est. Exposui feré quæ dicenda videbantur de origine: consequens est de dignitate vt verba faciam. Quam esse, tantum, vt vobis persuadeam, quantam concipio, id est, multò maximam; vtinam tandem Platonis copiam, acumen *Hyperidis*, *Varronis* doctrinam, *Hortensij* suauitatem, memoriam *Simonidis*,

actionem *Roſcij* conſequi valerem; vt vi *Demoſthenis* efficaciter impellere, cincinnis Iſocratis eleganter allicere, lacertis *Ciceronis* violenter pertrahere poſſet oratio. Non enim queo verbis ſatis proloqui, vt ait *Comicus*; ita ſplendido Poëticæ dignitatis lumine ingenij acies hebeſcit & obtunditur, vt Solis orientis fulgentibus radijs oculi noctuæ caligant & perſtringuntur. Quòd ſi rerum veritatem rationum momentis metiendam arbitremur, eamquerecti potiùs judicij ſtaterâ quàm inanium opinionum trutinâ ponderemus; nullam eſſe prorſus humanarum artium, cui non peritiſſimè Poëtica præferatur, & clarè videamus & candidè fateamur. Nam *Gramatica* quidem (quanquam arti nobiliſſimæ injuriam facio, qui comparem eam cum obſcuriſſimâ) ſed tamen Grammatica videbitur in fordibus domicilium collocâſſe, meo judicio, ſi magnificentiſſima Poëtarum palatia ſpectare voluerimus; nihil dico quòd exilia tractet, quòd amara. Verum quis tandem eſt, obſecro, veſtrûm tam firmo ſtomacho, qui non nugatorias illius quæſtiun-

ſiunculas & frigidas ineptias faſtidiat? An H. & K. nuncupandæ ſint literæ? An S. aliquando ſcribatur poſt X? An aliquando participium à verbo non diriuetur vt *Viridans?* Gerundia nominibus an verbis ſint aſcribenda? Quæ mater Hecubæ fuerit? Quæ genetrix Anchiſæ? Quid nauigantibus Sirenes cecinerint? & quot in Scyllâ canes latuerint? *Virgilium,* ſi dijs placet, ſolœciſmum commiſiſſe, cum genus tam virile quàm muliebre Cortici tribuerit; *Ciceronem* inquinatè, barbarè locutum, cum dixerit, *In amicitiam, in poteſtatem alicuius eſſe.* Quid ego loquar de pronunciatione, literis, ſyllabis, dictionibus, præceptionibus, regulis, inflectionibus, analogijs, figuris, caſibus, perſonis, modis, temporibus, numeris, & infinitis alijs; annotando, quærendo, caſtigando, commentando, corrigendo mutando, addendo detrahendo, iterum atque iterum, iterum, iterando, notis, ſcholijs, gloſſis, ita cumulatè congeſtis, vt ea *Priſcianus* ne totâ quidem ætate perdiſcere potuerit, *Didymus* in ſex millia voluminum

coaceruârit. Quæ ſi tam leuia ſunt, tam inſulſa vt raptim percurrenti tœdium mihi pariant, vobis audientibus nauſeam pœnè moueant; quid futurum putatis, ſi tantulis in minutijs, & talibus ineptijs totum vitæ curriculum conficiendum eſſet? Cæterùm fortaſſis & fontes ſunt exiles, quibus flumina promanant, & radices ſunt amaræ, quarum fructus ſunt ſuauiſſimi! Quaſi verò Rhetorica, vt ignoſcamus Grammaticæ, doctrinæ ſolidæ quicquam habeat, quæ calamiſtris meretricijs inuſta, fluentibus vnguentis deliburta, pigmentis madentibus effœminata, inaniſſima prudentiæ, loquacitatis pleniſſima, non incorrupto ſanguine, ſed aſcititio colore, non naturali ſucco, ſed accerſito fuco fallaciter eniteſcit. Mihi quidem videtur arboribus illis eſſe quàm ſimillima, quæ juxta mare mortuum in Palæſtinâ creſcere traduntur, quæ magnam aſpectu præ ſe ferunt pulchritudinem, earum fructus ſi quis decerpat, fauillâ & cinere plenos reperiret. At habet aliquid ſine dubio laudabile: non inficior. Quid tandem? quod aptè quibuſdam numeris conclu-

concluditur, qui & filum orationis vinculorum robore constringant neruosiùs, & auditorum sensus modorum dulcedine perfundant jucundiùs. Nunquam enim Pericles fulgurare, tonare, miscere Græciam dictus esset, nisi numeris verborum quasi fulminibus, illius quasi contorta raperetur oratio. Nunquam concursus ex totâ Græciâ ad Demosthenem audiendum factus fuisset, nisi numerosâ compositione, tanquam delitijs, auditores tanquam hospites auidissimos excepisset. Iaceret *Cicero*, frigeret *Isocrates*, si vastis, hiulcis, si laxis, & dissolutis fluctuarent sententijs. Sic est! Oratio omnem ornatum, omnem firmitudinem ex eleganti numerorum structurâ nanscisitur. Iam vnde tandem Rhetorica numeros? A semetipsâ? nihil minùs. Vnde igitur? A poëtis sumptos fatetur ipsius *Ciceronis* orator. Ex quo efficitur, vt quicquid virium, suauitatis, neruorum, venustatis habet ars dicendi, (habet enim plurimum) id totum in eius riuolos è Poëtarum fontibus transfusum & deriuatum esse videatur. Rhetorica porrò minùs formosa,

mosa, sed magis fortis est dialectica, sorore suâ quantò deformior, tantò superbior. Nam quemadmodum illa se profitetur docturam homines artem loquendi, tanquam elingues editi fuissemus: sic ista gloriatur se demonstraturam ratiocinandi rationem, quasi rationis expertes nasceremur. Cuius tamen authoritatem magis reuererer, nisi quorundam stultitijs adducta, spinosis, & horridis, & prodigiosis monstris, entitatibus, perscitatibus, intentionalitatibus, speciosam sororis elegantiam inquinaret. Sed nec artes ingenuas commendat, quia sordida est, &, quod plerumque in sordibus contingit, auara est: Phreneticum quendam tradit Athenæus eo furore fuisse captum, vt quotiescunque naues mercatorum in portum appellerent triumphans gaudio gratulabundus eas acciperet, quòd homo stolidus opinionem animo concepisset, omnes omnium merces suas vnius esse. Huius fanatici similis est dialectica, quæ cunctas quæstiones, quibuscunque de rebus institutæ fuerint, siue de Naturæ obscuritate, siue de Mathematum cognitione,

ne, siue de Repub. gubernandâ, de regendâ familiâ, de moribus informandis, siue de disserendo, siue dicendo, siue de primis literarum elementis, quæstiones, inquam, omnes, vndecunque petantur, suo imperio arroganter vendicat. Quantò modestior est Arithmetica, quæ contenta est suis numeris, neque tamen adeò forsitan fructuosa, vt Thraces inscientiæ pœnitere debeat, quòd bis bina numerando non potuerint excedere: cum præsertim Lycurgus, qui leges inuenit omnium prudentissimè, inuentas descripsit omnium decentissimè, eam quodam modo è Spartanorum Repub. radicitùs extirpârit. Præsagiebat, arbitror, homo peritissimus id quod euentus posteà comprobauit, Spartam auaritiâ huius dominæ perituram. Nec enim inuenustè perstrinxisse videtur Vestorium *M. Tullius*, qui hominem in lucro nimis occupatum, satis exercitatum in Arithmeticis esse dixit, quòd ea nimirùm sordidis mercatorum quæsticulis ancilletur. Quò mihi sapientiùs in *Platonis Phædro* judicâsse videtur *Socrates*, ille cui sapientiæ primas

primas detulit *Apollo*, cum execrandum quendam dæmonem, vnà cum talorum & alearum peſtibus Arithmeticam primò peperiſſe pronuntiauit. Quare non video cur eam Muſica peculatus accuſet; cum etſi quædam ſint in numeris præclara, propter quos ipſam repetundarum ream agit, tamen ſi quis audiat Muſicos canentes, alios boantes, alios balantes, alios frendentes, rugientes alios, non concentum numeroſum, vt ipſi exiſtimant, ſed hinnitum muſicum, vt *Eraſmus* nuncupat, audire videatur. Non eſt profectò quod Græci derideant Ateam illum Scytham, qui cum audîſſet *Iſmeniam* tibicinem ſuauiſſimè canentem, equum hinnientem audire ſe multò malle iurauit. Quanquam quid ego Scytham commemorem? cum è barbari *Ægyptij*, è *Græcis Ariſtoteles*, quales & quanti viri? illi cum in omnem diſciplinam homine ingenuo dignam incumberent, Muſicam vt viriles animos effœminantem à ſuis ablegârunt. Hic interrogatus quid de Muſicâ ſentiret, reſpondiſſe fertur, Iouem nec canere nec cytharam pulſare, tanquam exiſtima-

ret

ret artem esse perditam, quæ Deum nen delectaret. Veneri & Baccho, quàm Palladi & *Phœbo* magis conuenientem. Et certè, vt liberè loquar quod sentio, de eâ iure posse dici suspicor, quod dixit Spartanus quidam de Luscinia, *Vox tu es, præterea nihil.* Iam de *Geometriâ* dicam an taceam? quam *Minerua* in suam clientelam nunquam receptura, ad Martem potiùs amandatura mihi videtur. Nam ad homines trucidandos, ad expugnandas ciuitates, ad castra conficienda, ad militares machinas, ad bellicos furores à furijs creatam arbitror. Hinc ARCHIMEDES ad miserabilem patriæ vexationem MARCELLVM inflammauit. Hinc Taurus *Phalaridis*, hinc equus Troianus, hinc *Dionysij* Latomiæ, hinc omnium Tyrannorum tormenta proruperunt. Ac vt in turbulentis immanis est diritas, sic in tranquillis inanis est vanitas. Quid enim potest esse futilius, quàm Architæ Tarentini columba, Mausolæum Artemisiæ, Romanorum Amphitheatra, Olympiæ Porticus famosa eccho septies resonante, Vt interim taceam Ægyptiorum

rum Regum *Pyramidas*, & pensiles *Semiramidis* hortos, & quadruplicem Labyrinthum, & eiusmodi infinita, quæ, vt mihi videtur, ad dedecus Geometriæ *Plinius* suis in Naturali Historiâ coloribus depingit. Nec inscitum est illud, quod refert *Laertius* de *Diogene*, qui cuidam horoscopon ostendenti Bellum meherculè, inquit, instrumentum, ne frustremur cœnâ. Sed reprimam me, ne furens iracundia, suos mihi fortassis impingat equuleos. Sed è tetris ad astra, si possimus, cum *Menippo* cuolemus. Quid vt agamus? vt testes oculati commentitias Astrologorum fabulas contemnamus, de orbe Chrystallino, de Sphæris cœlestibus, de stellis errantibus, de Planetarum domicilijs, à *Vulcano*, credo, contra vim æstus aut frigoris exstructis, de reliquis somnijs non disputantium Philosophorum, sed deliramentis nugatorum, qui nescio quæ prodigiosa portenta, nobis in cœlo fingunt, Naues, & Dracones, & Canes, & Vrsas, & Hydras, & *pressi flumina lactis*, & illum *Zodiacum* duodecim animalculis stipatum, & anilia permulta eiusmodi deliramenta; tanquam

tanquam heri, vt *Mulciber*, ex astris decidissent, aut è *Iouis* consilio cum *Mercurio* deuolâssent, aut in *Lunâ* cum *Luciano* peregrinati fuissent. *At isto quidem hominum genere*, vt rectè *Cicero, nihil est arrogantius. Quod est*, inquit, *ante pedes nemo spectat, cœli scrutantur plagas*: vt non sine causâ *Dio* Philosophus ridiculos sibi dixerit eos videri, qui cum in profluente pisces non videant, *pisces in cœlo* se videre glorientur. Verùm ab astris animum, si placet, ad artes reuocate; & comparate, quæso, harum, quas diximus, artium obscuritatem, cum Poëticæ facultatis maiestate, harum humilitatem cum illius dignitate, harum angustias cum illius amplitudine; ab illâ, quæ multorum maledictis conscinditur, hominis ingenium exornari; ab his, quæ *Liberales* vulgò nominantur, animi culturam deformari reperietis. Neque tamen sum nescius esse quosdam, qui malitiosâ libidine carpendi petulanter elati (habent enim optima suos *Zoilos*, & quò quidque præstantius, eò petulantiùs, à Momis perstringitur) sunt, inquam, nonnulli qui vel prorsus

prorſus à legendis Poëtis abhorreant, vel abiectos artifices illis anteponant. Quis id miretur? quaſi verò ſit ſperandum tam proſperè cum hominibus vnquam actum iri, vt optima placeant omnibus! Nonnè barbari ſpinoſas *Sophiſtarum* nugas ſtupent, *Ciceronem* in differendo infantem eſſe putant? Nonnè Rex *Midas* fiſtulam *Panis*, *Apollinis* harmoniâ dulciorem prædicat? *Polyphemus* libentiùs cum ariete ſuo, quàm cum *Vlyſſe* verba facit? Nolite igitur pro veſtrâ prudentiâ temerè committere, vt picas cum *Muſis*, araneam cum *Mineruâ*, *Marſyam* cum *Phœbo*, conferatis; Ne illos imitemini qui cum barbaris delirare, deſipere cum *Mida*, cum inſulſo *Polyphemo* penitùs infatuari didicerunt. Nam quamuis alia cuncta deficerent, tamen illud magnoperè commouere vos deberet, quòd è cæteris artibus, quibus opera nauatur, vnius modò rei ſcientia comprehenditur; è poëſi verò tanquam è quodam *Amalthiæ* cornu, multa ſeuera grauiter, multa remiſſa leuiter, miſeranda flebiliter, acuta prudenter, animoſa fortiter, modeſta temperanter

peranter tractata possunt percipi. Itaque cum tantis virtutibus ornata priscis temporibus eluceret; tam mirabiles amores excitauit sui, vt Imperatores, Reges, Principes, Nationes omnes, illius studio vehementissimè flagrarent. Testis est *Alexander* Magnus, qui tanti fecit *Homeri* Poëmata, vt fortunatum *Achillem* duceret, cui tantus virtutis præco contigisset. Testis *Octauius Augustus*, qui cùm Poëtas omnes impensè coluit, tum inprimis *Virgilium* honore summo decorauit. Testetur *Cæsar Germanicus*, qui laudibus Imperatoris, Poëticæ studia sic adiunxit, vt nemo bella conficeret peritiùs, nemo confecta describeret elegantiùs. Testis est *Scipio Africanus*, qui suas victorias *Ennij* buccinâ decantari voluit, eumque adeò in *Scipionum* sepulchris in Marmore constituit. Testis est iterum ac sæpiùs magnus ille *Alexander*, qui scrinium *Darij* gemmis, auro, margaritis pretiosissimum, *Homeri* operibus custodiendis destinauit: cum vniuersas *Thebas* euerteret, solius *Pindari* posteris pepercit. Testes sunt ipsa Poëtarum numina, è quibus

Apollo

Apollo Delphis eos indicauit, qui violârunt *Archilochum*; *Caſtor* & *Pollux* liberârunt *Simonidem* mortis periculo; *Liber* pater *Sophoclem Lyſandro* ſepeliendum commendauit. Teſtes denique ſunt omnes oræ, gentes omnes, omnes vndiquaque Regiones, quarum theatra Rhetoribus obſtructa, Philoſophis oppilata, precluſa omnibus, Poëtis ſolis patuerunt, & ad nominis æternitatē patuerunt. Quis autem non fatebitur, ſi *Smyrnæi*, ſi *Rhodij*, ſi *Chij*, ſi *Colophonij*, *Salaminij*, *Argini*, *Athenienſes*, quod Græco Epigrammate oſtenditur, de *Homeri* ſtirpe contenderint; *Græcorum* principes ita cenſuiſſe eam in Poëtis eſſe dignitatem; quæ patrias ipſorum admirabili ſplendore gloriæ colluſtraret? Quod ergò tantum ingenij acumen cuiquam eſt tributum, quod Poëticæ dignitatem ſatis ſplendidè complecti poſſit? Quis omnium valeat, tam eximiam facultatem, aut exprimere verbis, aut mente concipere, aut ingenio ſuſtinere? vidiſtiſnè aliquandó aliquid (animaduertite quęſo quid loquar) vidiſtis aliquid aliquando tam illuſtre, tam ſingulare,

tam

tam incredibile, quod nullâ vitiorum propinquitate tangatur, nullâ turpitudinis affinitate inquinetur, nullo contagionis commercio polluatur? Poetica sine dubio sic omnibus virtutibus tam modulatè consonantibus, omnibus partibus tam egregiè consentientibus, luminibus omnibus tam excellenter refulgentibus enitescit, vt nihil seueritati, lenitate; nihil grauitati, amænitate; nihil majestati, *festiuitate*; nihil dignitati, jucunditate; nihil magnitudini, concinnitate; nihil denique diuinitati, humanitate detrahatur. Multa prætereo eaque splendidissima: ad singularem enim poëseos vtilitatem festinaret Oratio; & verò vereor, ne dum meæ voluptati nimis indulgeo, & amplitudinem rei pro viribus ostendo, molesto nimiæ longitudinis tædio, vestras patientissimas aures offendam.

ORA-

ORATIO 15. POST NATAL. DOM. 1577.

CVm in isto loco functurus officio mecum recogito, juuenes humaniſſimi, & veſtra ſingularis audiendi cupiditas, & meum prælegendi quid requirat officium, vtrum majore ſolicitudine an lætitiâ commoueri debeam, valdè vehementer dubitâre ſoleo. Nam & lætitiam mihi facit, quòd vos adoleſcentes quos ad virtutem ſalutariter iuſtitui magni refert Reipublicæ, optimarum artium, quibus virtus àlitur, ſtudio flagratis: & mouet ſolicitudinem, quòd ardorem veſtrum quibus rationibus ad artes optimas promouere, perinde valeam atque velim, non tam facilè reperio quàm auidè perueſtigo. Quâ in cogitatione jucundâ ſed anxiâ, quamuis non vulgarem meæ ſolicitudinis è veſtrâ beneuolentiâ fructum

percipio, quod mihi lætandum eſt; tamen officio, quo veſtræ beneuolentiæ cupio reſpondere, mihi non ſatisfacio, quod ingemiſcendum eſt. Magnum eſt profectò, & longè longeque maius quam vulgus arbitratur, inſtituere pueritiam, erudire iuuentutem; rem vnam rerum omnium ſecundum Deum pretioſiſſimam humanum animum, origine diuinum, errore corruptum, naturâ ſempiternum, præſtantiâ nobiliſſimum, tractare & excolere. Quem ſi deformes ſordibus, aut in diſciplinis, ineptiarum; aut prauitatum, in moribus fingendis: quid flagitioſius? quid execrandum magis? Sin ad originem puritates reuoces, vt exprimat cœleſtem mentis ſapientiam; moris ſanctitatem: nihil excellentius, nihil humano generi ſalutarius eſſe poteſt. Quo mihi prudentius illud à *Socrate* videtur vſurpatum; qui, vt declararet nullum munus in terris eſſe diuinius, quàm homines ad vitium ſuâ ſponte præcipites, ad virtutem informare, & regere Imperio Philoſophos, & Reges, à *Ioue* dixit eſſe. Non quin alij ſint à *Ioue*, quem ille nuncupabat, id eſt,

eſt, à ſummo Deo, rerum omnium opifice: ſed hos inprimis præter cæteros, Dei prouidentiæ curauit tribuendos; quoniam vt locum obtinent dignitate ſummum vſu perneceſſarium; ita Dei præſidium impenſius requirunt, cujus officium diuinitus exequuntur. Etenim Philoſophi, germanos dico, qui verum & amant & docent ſapientiam; (faceſſant adulterini, qui gloriantes Philoſophorum titulo, verbo ſapientiam, re ſtultitiam ſequuntur) ſed veri Philoſophi virtutum ac doctrinarum præceptis inſtillandis, hominum ingenia probitate morum imbuunt. Reges autem, quorum nomine Magiſtratus omnes *Socrates* complexus eſt, eos, qui Philoſophis monentibus non obtemperant, ſeueritate legum, ne delinquant, continent. Philoſophi, docendo ſuadent, Reges jubendo terrent. Philoſophi ſermone, Reges ſceptro; Philoſophi conſilio, Reges imperio; vi corporum magis Reges, animorū vi Philoſophi, alteri, volentes ducunt; alteri, nolentes trahunt. Quanquā neſcio quomodo, poteſtates iſtæ à Deo conſtitutæ ſalubriores erunt, ſi

temperentur: vt & Reges nonnihil habeant Philoſophicum, & Philoſophi nonnihil regium. Nec enim Philoſophi non aliquando remedijs acrioribus agant oportet, ſi leuioribus minùs proficiant; nec Reges modò pœnis domare contumaces, ſed etiam præmijs cùm allicere tractabiles, tùm obſequentes ornare debent. Beatam Rempub. quæ magiſtros virtutum habet, vt ciuium ingenia ſtatim à teneris res ad optimas informentur: Beatiorem, quæ magiſtris adiunctos habet magiſtratus, vt quos ad virtutem non ducit amor, eos à vitio timor deterreat: Beatiſſimam, cuius ciues amore virtutis & ſapientiæ flagrantes, ita magiſtrorum monitis flectuntur, vt magiſtratibus non ſit illis opus. Sed quoniam ad beatiſſimam conditionem rerum mortalis infirmitas pertingere non poteſt, dum corporis quaſi carceris ergaſtulo continetur: (quid enim caducum ex omni parte beatum?) gratulandum eſt nobis, quòd beatius quàm multi, qui tertijs non fruuntur, in ſecundis conſiſtimus; quibus Deus Philoſophos & Reges attribuit, Magiſtros & Magiſtratus,

giſtratus, vt eorum communi curâ, noſtris omnium, vti ſpero, animis ad ſapientiam, moribus ad honeſtatis, actionibus ad concordiæ ſtudium inſtructis, felicitatis ſolidæ, ſuo demum tempore, compotes euadamus. Ego ſanè quidem, vt de meipſo loquar, cum in iſtorum Philoſophorum numerum primùm cooptarer, quia non eram neſcius majus onus incumbere ſiue linguarum profeſſoribus, ſiue artium, præſertim Chriſtianis, quàm plerique parùm prudentes æſtimatores rerum judicant: idcircò nauandam operam cenſui linguæ Græcæ, non modò vocibus docendis, ſed rebus etiam multò magis, quarum cauſâ voces, vt ſcitis, ſunt inuentæ; neque rebus tantùm, vt andiantur quodammodo & ſcientiâ comprehendantur, ſed ad vſum potiùs communis vitæ referantur; vt quemadmodum arx Mineruæ præſidio fuit Athenis, item artes doctrinæ ſint adiumento Reipublicæ. Quis enim vſus linguarum, ſi voces peregrinas diſcamus, vt Pſittaci; non artes, quæ conſignantur linguis, inueſtigemus? Quis autem vſus artium, ſi tanquam

thesauri custodiantur à draconibus, non ad vitam prudenter ex virtute componendam, iuuandam patriam, fouendum genus hominum, consilio, solatio, subsidio, dirigantur? Quamobrem, vt ista quæ mihi persuaseram de literarum studio, vobis, quos optimis, imbui volebam, facilius persuaderem; ne pœnitoret senes serò, si iuuenes bonas horas malè perderetis, labore vel inutili vel noxio capiendo: feci non inuitus, vt cum ad pristinorum studiorum cursum, intermissum temporibus, industriâ repetendum, post longiora vacationum otia nos referremus, præfationes ad explicanda, quæ cognitu fructuosa fore senseram, adhiberem. Nam & viam studiorum cum intueremini quâ vobis ingrediendum, eam expeditiùs semotis erroribus confecturos sperabam: &quem laboris fructum essetis percepturi, quibus esset intellectum, eos alacriùs laborem id studijs posituros confidebam. Itaque, vt *Plato* leges non putauit promulgandas sine proëmio, quo legis laudibus excitati, legi libentiùs acquiescerent: ita neque mihi præ-

prælectiones ſine præfatione viſum eſt auſpicari; ſi cujuſquàm commodo, conſequor quod inſtitui. Nam eo quidem conſilio linguas ad artes, artes ad vſum vitutis & ſapientiæ, cupiens à ſtudioſis omnibus applicari: principio ſum cohortatus ad linguæ Græcæ ſtudium, cujus, vt potui, laudes explicaui. Quo jacto fundamento, ſequuta eſt operis exædificatio, in eo poſita, vt declararem ex ipſius linguæ cognitione, primùm, quas diſciplinas; deinde, quibus modis; poſtremò, quem in finem comprehendere conueniret. Ac diſciplinarum, In quibus opera collocanda eſt, duo capita propoſui; cognoſcere quæ debemus; exprimere quæ cognoſcimus; ſapientiam & eloquentiam; quarum in alterâ res ſpectantur, in alterâ voces rerum notæ: cùm per rerum notas, ad rerum notitias ſit perueniendum: à ſermonis artibus exordiendum monui, quæ tanquam ancillæ, & adminiſtræ ſunt ſapientiæ. Sermonis autem artes explicatrices ſenſorum animi, docui tripartitò ſolere diuidi: primam eſſe loquendi, alteram diſſerendi, tertiam

dicendi: loquendi, Grammaticâ; differendi, Dialecticâ; Rhetoricâ, dicendi doctrinam contineri. De quibus, postquam ea quæ sunt visa differuissem: erat consequens vt ad rerum disciplinas accederem. Disciplinæ rerum, quæ sermonis artibus, vt instrumentis, excoluntur, in duo membra tribuuntur, *morum*, & *naturæ*: quæ nomine *moralis* & *naturalis Philosophiæ* vulgò designantur. Porrò *mores* excoluntur, si finem spectes, vt homines singuli, familiæ, ciuitates, benè viuant. In singulos, Ethica; familias, Oeconomica; ciuitates, Politica suam insumunt operam. Si causam examines efficientem; mores informantur, partim præceptis, partim exemplis. Præcepta Philosophi, exempla historici persequuntur magis: nam à neutris altera prorsùs negliguntur. Vtraque poëtæ sub inuolucris fabularum, & sine fabulis nonnulli tractanda sibi sumpserunt. Verùm si voluerimus morum disciplinâ nullis erroribus inquinatâ imbui, quoniam humana necesse est humum sapiant, & lacunæ puriſſimæ sunt ex parte luculentæ: propterea nobis

ad

ad cœleſtem fontem eſt confugiendum, vt è literis diuinis, magiſtris certiſſimis veritatis & virtutis, præceptis ſapientiæ, pietatis exemplis vitam conformemus. *Naturæ* verò *diſciplina*, quam cognitionis partem alteram eſſe diximus partim in *quantitate*, partim in *qualitate* rerum occupatur. In *quantitate Mathematica*; in *qualitate*, *Phyſica*: quæ nihil attinet hoc loco, ſiue ſubtiliore diuiſione perſequi, ſiue cur ita diuidam ratione complecti. Cæterùm iſtarum artium quæ diſciplinam rerum continent, pertractionem, quanquam ex ordine ſubtexenda videbatur, tamen antequam tractatui ſuperiorum adjungerem: erant nonnullæ tanquam herbæ noxiæ priùs euellendæ, vt meliùs adoleſcerent, quas antea plantârum, & locum inuenirent quas conſiturus eram: ob eamque cauſam, & ad venena præcauenda, quæ profanis ex authoribus, è quibus Grammatica diſcuntur, & Rhetorica, delibari poſſent, cautionem illam, quaſi pharmacum adhibui, præcipuam in omnibus virtutis ac veritatis habendâ ſemper eſſe rationem: & ad incor-

ruptam morum disciplinam diuinitûs hauriendam, sequendum eum ducem qui neque fallit, neque fallitur; errores non tuendos nomine Philosophiæ, Philosophis credendum, sed vsque ad aras; *Aristotelem* in summi boni tractatione prolapsum, cùm distinctionum ineptijs refutandis, tum ex *Aristotele* principijs demonstraui: & in artium præceptionibus, quæcunque demùm in ludis literarum, siue publicè, siue priuatim, siue docentur, siue disputantur, defendenda quæ vera, docenda quæ vtilia, quantumuis mortalium magnorum authoritas, multorum consuetudo refragetur, monui: & ad Dialecticæ, nobilissimi cunctarum artium instrumenti, germanum vsum illustrandum, qui vitio disputantium grauiter obscuratus est, disputandi rationem ab origine repetitam, tribus è causis, fine, materiâ, formâ, exposui; eiusque finem, quo rerum aperiatur veritas; materiam, quâ discentium spectetur vtilitas; formam, vt peritè, modestè, sincerè disceptetur, nobis proponendam esse declaraui. Interjecta est etiam per occasionem, ad

studium

ſtudium virtutis & ſapientiæ toto pectore, quod aiunt, aſſiduiſſimè perſequendum cohortatio: ne quis, vt ſumus admodum procliues à labore ad libidinem, improborum exemplis, conſilijs, maleficijs, in inſcitiam, & impuritatem raperetur. Atque hactenus in his verſati ſumus. Ad reliqua ſequitur vt tendamus, de quibus eriteò facilior dicendi locus, quòd Sophiſtarum nebulas artium ſplendori caliginem offundentes veritatis eſſe radijs diſſipatas confido. Deinceps igitur de Morum & Naturæ diſciplinâ dicendum reſtat; quibus expoſitis, id quod primum ſuſcepi me declaraturum, quænam artes è linguis eſſent perdiſcendæ, vobis adoleſcentibus, quos inſtituendi mihi cura commiſſa eſt; ſatis, vt arbitror, erit explicatũ. Sed de naturæ ſcientiâ cum licebit. Hodiè de motibus ſermonem habeamus; & eo quidem ordine vt duo perſequamur: quis *finis* actionibus noſtris ſit petendus; quâ *viâ* ſit eundem ad finem conſequendum; id eſt, vt verbo dicam, *quò* & *quâ eundem*. *Quò?* ad *virtutẽ*. *Quâ?* per *ſapientiam*. Res magnæ, & quidem omnium

omnium humanarum maximæ: quæ si multos annos hoc prælegendi munus obiturus essem, satis ad præfandum suppeditarent materiæ. Sed date, quæso, veniam, vt quasi canis ad Nilum, multa paucis; dictum sapienti: terrarum orbem intuemur in tabulâ; rês optimas, pulcherrimas, excellentissimas, perstrictas raptim audietis. Quid enim melius virtute? quid pulchrius sapientia? quid excellentius Deo, cui viuendo damus operam? Omnis inferior rebus tantis est oratio. Sed verbis humilibus attendant aures: animi rerum sensu cœlestium imbuantur. Ac vt ordiamur ab eo quod inprimis est considerandum, *quò* sit eundum: omnia scimus hominum, homines esse Dei causâ generatos; quo nimirùm ipsum amantes optimum, colentes maximum, bonitate patrem, potestate Dominum, maiestate Deum, tandem hujus vitæ vinculis soluti, æuo sempiterno cum eo perfruamur. Cæterùm hic finis hominis, summum illud bonum, quo nostræ omnes actiones, studia, consilia, referantur propè dixeram (quod vtinam referentur)

sed

ſed referri debent: in hac mortali vitâ non re ſed ſpe tenetur, Deum amantibus in cœlo reſeruatur. Summum quidem bonum, quod dum in terrâ ſumus, adipiſci poſſumus, virtus eſt; virtus, perfectrix animi, pacatrix conſcientiæ, vexata multis calamitatibus, eóq; miſerior quàm beatior, ſi nihil vlterius peteretur, ſed plena veri gaudij, ſpe gaudij diuini, quo ſummum bonum continetur. Habetis igitur, quo ſit contendendum adoleſcentes optimi; contendendendum ad virtutem, vt per virtutem ad fœlicitatem, quam omnes appetunt, pauci perſequuntur, duce Deo perducamur. Sed iſta virtus, ne quis ertet, multò ſublimior eſt quàm Stoicorum qui virtute qnoq; beatam vitam definiebant, quamuis eam ad ſuperius bonum non referrent. Fortius, quàm plerique; jejuniùs, quàm decebat. Quod vnâ mecum judicabitis, ſi vobiſcum expendetis, virtutem eam quam dico, pietate aduerſus Deum, aduerſus autem homines probitate, contineri. Porrò pietas in Deum religione comprehenditur, religio fide; ex fide juſtitia, quæ virtutes

cunctas

cunctas, quas vulgus eo nomine notat, complectitur; juſtitia quæ pulchrior eſt Heſpero & Lucifero, & quaſi ramus è radice, riuulus è fonte fruticatur & promanat. Ita virtutem, etſi nomine non diuerſam, naturâ tamẽ aliuſmodi, quàm aut Stoici aut vlli ſuis ingenijs conſequi potuerunt, acquirendam proponimus. Quamobrem, ſi beati eſſe volumus, (velle quidem certè debemus) ad beatitudinem per virtutem eſt aſpirandum. Si virtutem cupimus, religio petenda eſt; quâ ſcilicet, vt audiſtis, pietas erga Deum continetur, probitas erga homines procreatur. Atque hæc eſt ſolidæ virtutis ratio, quâ nobis mores ſunt informandi. Si qui ſecus de virtute vel loquuntur vel gloriantur, ſiue Philoſophi nuncupari gaudeant, ſiue religioſi videantur ſibi: ne ſint nobis cordi eorum conſilia; abominetur meus animus ineptias impiorum; deliramenta ſunt hominum ſua ſomnia vendicantium, quorum vnicuique cum *Cicerone* licet exclamare, *Neſcio quis nos teneat error, ac miſerabilis ignoratio veri.* Quanquam non eſt illud ſilentio ſupprimendum,

Cic. in Conſol.

dum, eos ipsos, qui veræ lucis vsuram non habentes, altissimis errorum sunt immersi tenebris, etiam si virtutem istam è verâ religione fulgentem non viderunt: tamen vmbram aliquam ejus habuisse, quæ fluxit ex optimis naturæ principijs & veritatis exemplis. Vnde *Pindarus* poëta scriptum reliquit, *Achillem* à *Chirone* Magistro institutum: quibus tandem artibus? * vt summum Deum coleret, parentes honoraret, & omnium virtutum luminibus emineret. Eumq; ita educatum, Phœnici deinceps commissum *Homerus* canit, vt ipsum efficeret verborum oratorum, actoremq; rerum. Cujus institutionis etsi minora dedit documenta, quàm obtandum erat: tamen ad flagitium *Paridis* vindicandum, *Hectore* tollendo Pergama dijecit. Ego verò qui percupio vos vniuersos *Achilles* esse non ad Pergama sed peccata funditùs excidenda: quàm vellem & *Chironis* officium vobis exequi possem, & Phœnicis, vt non modò facerem verborum oratores, sed quod multo mallem, actores rerum; vt idem quod *Achilles*, at melius

* *Pind. Pyth. 6*

meliùs quàm *Achilles*, Deum venerari, parentes reuereri, virtutes demùm omnes colere discerctis. Quid enim deformius, quàm vt de nostrûm aliquo prædicetur verè, quo falso notatus est ab *Æschine Demosthenes lingua disertus, vitâ sceleſtus*; & *speciosa verba, facta nefaria?* Quid contumeliosius, quàm vt audeamus, quod apud *Virgilium* à *Turno Drances*: a *Larga quidem semper Drance tibi copia (fandi, Tunc cum bella manus poscunt.* Quid ad famam turpius, ad odium acerbius, quam illa peruagata nobis exprobari? *Intus Nero, foris Cato; loquitur, vt Piso; venit vt Gallonius: audi, nemo meliùs; spectа, nemo peiùs.* Absit, vt histriones, quos in scenâ non probamus, repræsentemus vitâ: qui coram spectatoribus agant *Agamemnonem*; si detrahas personam, *Thersitem* imitentur. Non vt lucus, è ligni; ita virtus, è verbis consistere putanda est: sed vt auri puritatem, & color, & sonus, & pondus, & lapis Lydius examinant; sic hominum continentiam, & manus & linguæ, & aures, & oculi præ se ferre debent. Olympici quidem Iouis apud Megarenses, vultum ex

* *Æschin. in Cteſiph.*

a *Virg. Aen. 11.*

auro,

auro, & ebore conflatum, corpus reliquum è luto & fictili materiâ tradit *Pausanias*. Quàm multi, doleo dicere, sed vt integritatem amemus, est dicendum; quàm multi sunt vbique Iouis Olympici, qui vultum habent aureum, corpus luteum? Quàm multæ per orbem terræ grassantur Harpyiæ: quibus sunt, vt illis apud Poëtas, ora virginum, vngues vulturum? Quod fretum non continet Scyllas; Quis Vlysses non videt Sirenes; quæ regio non parit Centauros? omnes humanâ facie, sed aliquid subest monstri. Quò mihi vehementiùs estis obsecrandi, charissimi iuuenes, vt animis intelligentibus in vitâ versemini: quò tum à pestium hujusmodi, ne contrahatis habem, commercio caueatis: tum ores ad virtutem non modò voces d eloquentiam, summo studio conrmetis. Metiantur alij ventre summum bonum, & illud, more pecudum, quod Sardanapali statuæ inscriptum est; sentiant, *Ede Bibe, ude*, humana cetera non sunt tanti. Alij pecunias sorbeant, vt Crassi; alij consumantur honoribus ambiendis; alij quærant plausum, mancipia

Pausan in Attic.

Ethica.

cipia gloriæ; alij ſocordiâ colliqueſcant, vt Vaciæ; alij luxuriâ, nepotes veneris putreſcant. Quærant in delitijs, vt *Cleopatræ* gaudium; inueniant, vt aſpidem, conſcientiæ tormentum. Vos quorum non modò vultus, ſed voluntates, ſpero, ad cœlum eriguntur; quos ad meliora Deus progenuit, parentes aluerunt, doctrina excoluit; quibus eſt perſuaſum virtutem eſſe viam ad veram beatitudinem; contendite, quæſo, neruos omnes ad virtutem conſequendam; vt affectus comprimantur, ſpiritus dominetur, ratio præſit, appetitus pareat; in religione colatis pietatem, in conſilijs prudentiam, in negotijs induſtriam, in laboribus tolerantiam, in ſermonibus veritatem, juſtitiam in communi ſocietate vitæ; continentes in proſperis, in aduerſis fortes; temperantes in jucundis, in aſperis conſtantes; in juuando liberales, in ferendo patientes; in conuictu faciles, in injurijs placabiles; in benefactis memores, in commiſſis fideles, eſſe ſtudeatis; majores obſeruantiâ, minores beneuolentiâ, humanitate patres, vniuerſum denique genus hu-

manum

manum amoris Christiani vinculo complectamini. Nam ista si feceritis, vel potius cum feceritis (cur enim dubitem, quin ad optima tendatis?) siue soli vobiscum, siue iuncti cum aljis, aut in familijs, aut in rebus publicis agatis vitam: nulla cujusq; officij præcepta potientis moribus præterea requiretis. Etenim qui rebus in omnibus quas capescit, pietatem, vt lucem, prudentiam, vt lumem; justitiam, vt normam actionum sequitur: quemadmodnm non sibi soli, sed domesticis, sed patriæ, sed humano generi se natum meminerit; ita non sibi soli, sed domui, sed ciuitati, sed terrarum orbi, præcipiet optima, suadebit vtilissima, faciet in singulis, suis, alienis; publicis, priuatis; forensibus, domesticis, quæ virum bonum deceant. Non tanquam *Scipio* quidam *Æmilianus*, qui, si credimus *Velleio*, nihil vnquam in vitâ nisi laudandum aut fecit, aut dixit, aut sensit; (quod ego non existimo) sed, vt mortalis homo virtutis studiosus, qui faciet aliquando quod factum esse nollet; labetur, sed resurget; peccabit sed agnoscet; Erraui

Oeconomica, Politica.

Vell. Histor. Rom. l. 2.

raui, temerè feci, delicti pœnitet; fit, pœnitentia commissi, medicina pœnitenti. Ac ista sunt quæ mihi de fine proposito nostris actionibus, dicenda videbantur: summatim, vt videatis, quasi per transennam quo sit contendendum. Quâ sit, contendendum, consequens est vt doceam, quod absoluam paucis, si prius à ciuibus hujus exiguæ nostræ Republicæ figillatim contendero, vt ea quæ sunt dicta, libenter accipiant, libentiùs faciant. In quo Magistratus mihi sunt rogandi, quibus placuit interesse, vt ad omnes qui præsunt ici pertinere cogitent, quod de *Cæsare Tiberio* scripsit: **Facerè ciues, suos Princeps optimus faciendo docet Magnus imperio, maior exemplo.* Adolescentes autē oro, vt instar illius quem laudet *Pindarus Arcesilai*, mentem ætate meliorem alant, & probent meliora: quò mentitum doceant *Atrei* seruum ausum in Thyeste Senecæ pronunciare, *Peiora iuuenes facilè præcepta audiunt.* Pueros, quasi puros, esse nominatos, *Varronis* est opinor. Græcis quidem adolescentuli παῖδες nuncupantur, à verbo, quo munditia notatur & venustas, quòd

* *Vell. lib. 2.*

Pind. Pyth. by 5.

ætas

tas ea ſolcat eſſe pulchrior & orna-
ior. Quid igitur? Túne cui nomen
b ornatu datum eſt, ornatus veſti-
us, incultus moribus; formoſus cor-
ore, deformis animo; Hoſpitio fe-
ix, hoſpite fœdus eris? Verecundi-
m colite; Audite Philoſophum qui
idens puerum erubeſcentem, *Con-*
fide, inquit, *fili, virtutis color eſt.* *Diog. Laert. in Diogen.*
Horrete impudentiam. Poëtæ cre-
lite, cujus in Comœdiâ prudens
Pædagogus, *Ego*, inquit *illum perÿſ-*
e duco, cui quidem perÿt pudor. De-
ique vt verbo finiam, ita ſuam
uiſq; Spartam exornet, & omnes
no animo virtutem perſequamur:
t quemadmodum *Cyneas Pyrrhi* Le- *Plut. in Pyrr.*
atus Romanos Senatores, multos
bi Reges in concilio viſos eſſe, *Pyr-*
ho reſpondit; ſimiliter inimici, qui
os, vt à *Pyrrho* legati, obſeruabunt,
gnoſcant eſſe Reges non locorum,
ed libidinum, quo nullum in terris
egnum eminentius vel eſſe vel eſſe
oſſe, vobis perſuadete. Iam ad finem
uem propoſui, conſequendum, quæ
ia potiſſimum ſit nobis ineunda,
eliquum eſt vt expediam. Quam
iſi cognoſcamus, inanis erit om-
is labor ſuſceptus, in fine deſcri-
bendo

biendo: quippe quem fortaſſis intueri liceat, conſequi non liceat. Nec enim conſequi licebit, niſi tanquam Argonautis Argonauis fabricata eſt, ad vellus aureum petendum: ita cupidis virtutis via deſignetur ad virtutem comparandam. Viam igitur ad virtutem eſſe dico *ſapientiam*: quo nomine ſæpenumero doctrinas alias dignamur; & aliter à Philoſophis *Ariſtotele* præſertim, vſurpari non ignoro. Sed nulla ſine dubio doctrina tam illuſtri nomine eſt dignior, quàm ea quæ tradit diſciplinam bene viuendi, beatitudini, quam ſitimus, faces præferentem. Hæc eſt enim vera & ſola ſapientia, vt præpotentem Deum & nos ipſos cognoſcamus. Artes alias non reijcio, ſed iſtam omnibus antepono. Fulgeant illæ, more ſyderum: iſta ſoli ſplendorem ſuperat. Nam quamuis omninò cum Ariſtone Chio Pholiſopho non ſentio, qui Phyſicam & Dialecticam tollebat artem, dicens alteram ſupra nos, alteram nihil ad nos: moralem ſolam ad nos ſpectare: tamen aſſentior *M Ciceroni*, cujus in Hortenſio, (quo libro legendo, conuerſum affectum ſum

Laert. in Ariſtot.

Cic in Hort.

à ſtudia verborum ad ſtudium virtutis; ad ſinceram ſapientiam, ab eloquentiâ fucatâ, ſcribit *Auguſtinus*) *igitur in eo libro Ciceronis*, Catulus artem benè viuendi rebus omnibus anteponens, *Malo*, inquit, *vel vnum paruum de officio libellum quàm longam orationem pro ſeditioſo homine Cornelio*. Faceſſant omnes, qui docere nihil poſſunt, quo melius ſapientiúſq; viuamus. Hoc in perſonâ Catuli dictum eſt Hortenſio: ſed à *Cicerone* putemus dictum omnibus. Quare, ſi quiſpiam opinione lapſus aut alios fortaſſe ſapientes probat, aut alio modo ſapiens eſſe conſtituit: affabor eum, quaſi *Pentheum, Bacchi* verbis apud *Euripidem*, a. *Sapiens, ſapiens es, præterquam in quibus ſapientem eſſe conuenit*. Nam, ſi quid ego judico, non magis ſapiunt, quàm *Pentheus*, ſi qui rebus leuiculis, vt maximis, deliniti, ſtudium benè viuendi, quod vnum homines beatos facit, minùs mugnifaciunt, iſta igitur vera ſapientia, dux beatitudinis, Magiſtro benè viuendi quò virtutis igniculos inſerat ac inflammet in animis humanis, qui naturâ volutantur in tenebris erroris

Aug. Confeſſ. lib. 3 cap. 4.

a *Euripid. in Bacch.*

roris atque prauitatis : primùm, vt veras de rebus habeant opiniones, ac prauas, quibus nihil peſtilentius, deteſtentur; rationem excolet cognitione rerum. Deinde, voluntatem, vt recta præcipienti rationi pareat, bonum deſideret, malum declinet, promiſſo præmio felicitatis, ad ſtudium virtutis excitat amplectendæ. in quibus, vt excolat lumen rationis cognitione veri, impetum voluntatis cupiditate boni; *præceptis* vtitur & *exemplis*; præceptis prudentium, quæ tradit audienda; exemplis bonorum, quæ proponet imitanda. Nam ab improborum & imprudentium præceptis & exemplis maximopere cauendum eſſe, ſatis anteà demonſtratum eſt. Sed ex iſtis videmus diſcendam eſſe ſapientiam, ſed virtutis compotes fieri velimus. Quod autem eſt diſcendum, id deſiderat Doctorem. Quis porrò ſapientiam doceat niſi ſapiens? Nam qui tradat artem, artifex ſit oportet; niſi fortè cæcos judicare de coloribus, ſurdos de ſonis, non abſurdum judicamus. Ego ſapientia diſcenda eſt à ſapiente : quis autem ſapiens niſi Deus? Id enim præclarè pronuncia-

Ariſt. Met. lib. 1. cap. 2.

tum

tum est à *Simonide*, cum homines in plurimis passim hallucinentur, honorem sapientiæ soli Deo tribuendum. Quod etsi carpatur ab *Aristotele*, tanquam inuideat Deus hominibus, nisi sapientibus illis esse liceat: plus apud me tamen vera ratio valebit, quàm cujusquam opino; neque ego vnquam solidè sapientem esse dicam eum, qui frequenter in multis labitur, Non magis, quàm eum oculorum acie perspicacem dicam, cujus oculi ad res clarissimas, vt ad lumen solis noctuæ, caligant. Quâ similitudine luculenter humanam, quam vocat, sapientiam, idem ARISTOTELES in ijsdem Metaphysicis paulò post describit. Itaque præclarè, vt multa, SOCRATES apud PLATONEM, sapientis nomen videri sibi magnum, & soli DEO conuenire; homines, qui cæteris cognitione præstent, sapientiæ studiosos appellandos esse. Quo nihil dici potuit vel augustissimæ Maiestati Dei, vel nostræ, si videmus conditioni, rei veritate conuenientius, Quamobrem, vt ea quæ pluribus sum persequutus, in summam colligam, si finem proponi-

Arist. Met. lib. 2. cap. 1. Plat. in Pha.

mus noſtris omnibus inſtitutis, vt beatiſimus; & ad beatitudinem contenditur per virtutem; & ad virtutem venitur per ſapientiam; & ſapientia diſcenda eſt à ſapiente; & ſapientem eſſe ſolum Deum agnoſcimus; ſequitur, ex Dei cœleſti diſciplinâ, ſcriptîs ſacroſanctis diuinitùs cõſignatâ, veram ſapientiam ad mores virtutis præſcripto conformandos, eſſe nobis hauriendam. Neq; tamen hæc eò dico quaſi quicquam detractum velim juſtis laudibus eorum hominum qui Reipublicæ juuandæ ſtudio flagrantes, excolendis moribus, ſiue præceptis, ſiue exemplis, vtilem nauârunt operam. Quo ex genere videmus Philoſophos, in præceptis; hiſtoricos in exemplis; in vtriſq; vtroſque; obiter, & ex profeſſo Poëtas, non contemnendam, ſi legantur vt oportet, poſuiſſe operam. Ac in præceptis quidem (ſi de latinis agerem, mentionem *Senecæ* & *Ciceronis* facerem) inter Græcos excellunt, *Socrates*; qui princeps hujus apnd illos inſtituti fuit, diſcipuli celeberrimi; *Plato* & *Xenophon*; à quibus Magiſtri *Socratis* ſermones grauitèr, elegantèr, copioſè ſint preſcripti. Quos

Philoſophi.

ob

ob eam causam docti Philosophis cæteris anteponent, quia non solùm docent, vt sciant auditores, verùm etiam mouent vt velint quæ debeant: vt & animus erudiatur & impellatur voluntas hominum ad virtutem. *Aristoteles* ad scholam quàm ad vitam aptior, istas ad mouendum faces non habet, acumen & ordinem habet in docendo: qui tamen ipse, (quod vtinam attenderent qui morali Philosophiæ se studere profitentur) passim in *Ethicis* expressè pronunciat, non vt sciamus quid sit virtus, istam artem disci, sed vt boni simus; aloqui nihil vtilitatis ex eâ percipi; finem enim esse disciplinæ de moribus, non cognitionem, red actionem? Quàm, in hoc, pauci credunt *Aristoteli?* Nam multi, quasi finis moralis Phylosophiæ sit non actio sed cognitio, vel potius cõtentio, seu veriùs vexatio: non ea quærunt in Philosophis *Platone*, *Xenophonte*, *Plutarcho*, *Aristotele*, quibus mores excolant, sed ê sordibus quibusdam, quas nominare non dignabor, vt distinctiunculas paucas excerpserint, morales & Philosophos se esse arbitrantur. Cæterùm, ne sim longior, vt

Arist. Ethic. l. 1. c. 3. & l. 2. c. 2.

veram Philosophis laudem non detraho, ita, nè falsam attribuam, agroſco verum in illis esse quod de se
Cic. l. 3 Offic. fatetur *Cicero:* Nos, inquit, veri juris, germanæq; iustitiæ solidam & expressam effigiem nullam habemus, vmbrâ & imaginibus vtimur; eas ipsas vtinam sequeremur. Quod à *Cicerone* quàm verè de suis officiorum præceptis, etsi luculentis, dici potuerit, docet *Ambrosius*, qui *Ciceronis* idem opus officiorum suis officiorum libris emendauit. Atque hoc loco Iurisprudentiæ quæ tum eundem spectat finem, tum ex eodem fonte manat, facienda esset mentio: nisi mea vobis, adolescentes, industria laboraret, qui cùm humanitatis in artibus, versamini, tùm ad aliam metam studia dirigitis. Verum Quod *Galenus*, ad nostrum institutum necessariò pertinere, videri fortasse potest: ex eo præsertim opusculo, *Quòd mores animi sequantur temperaturam corporis.* In quo, si Morum nomine designarentur, Mores illi; de quibus nos agimus, è virtute manantes, vt quidam peruersè & inscienter accipiunt: videri possim meritò, falcem, quòd aiunt, in alienam messem

sem immitere, cùm mores instituo; & quidem ad Medicos potius vos remitterim. Sed in eo *Galeni*, mores animi vocantur minùs propriè, vocantur tamen, qui naturales habitus ab ARISTOTELE; virtutes naturales, & vitia naturalia vocantur à *Nemesio*: affectus, cum pecudibus nobis communes, qui non in animâ principe, participe rationis, sed insentiente communi cum bestijs sedem suam habent. Quo modo, *Galenus* ipse suam sententiam est interpretatus, in opere, quod inscripsit *de arte medicinali*, vbi cum in cordis tractatione Morum menti incidisset: *Quæcunq́*, inquit, *de moribus siue hoc sermone, siue quouis alio sunt explicata ad cognoscendam temperaturam; ea non de probis & vitiosis moribus, qui ex studio sapientiæ hominibus adueniunt, sed de cuique insitis & naturalibus à nobis sunt exposita.* Quamobrem quod vulgò jactatur, *Mores animi temperaturam corporis sequi*: agnosco verum esse quomodo scriptum est, non quomodo perperàm quidam interpretantur. Nam illi mores animi, nunquam erunt mores, cujusmodi nos tractamus, nisi

Arist. Ethic. l. 6. c. 13.

Nemes. de anim. c. 2.

doctrinâ virtutum informentur. Ex exempli gratiâ. Colore cordis, qui feruet, audacior, qui languet, timidior erit naturâ: sed neuter verè fortis vnquàm euadet, nisi naturam excolat morum disciplina. Corporis quidem apta temperatio non habet nihil adjuncti: sed tamen caueat Physiognomon *Zopyrus*, in *Socrate* ne fallatur. Nam ineptior naturâ, si disciplina morum efficax accesserit, ad bonam frugem veniet: aptissimus si defuerit, ad nequitiam feretur. Atque de præceptis Philosophorum hactenus Ad exempla veniamus. Exempla virtutum, optandum esset nos ipsos alios alijs exhiberemus: vt non tantùm auribus, sed etiam oculis juuenum ad virtutem erudirentur animi. Et quidem exempla præsentia magis mouent, quod impulit Romanos, vt quemadmodum *Ciceronem* legimus ad *Scæuolam*; sic à patribus ad viros graues liberi deducerentur, quorum consuetudine facilius ad optima conformari possent. Quod si desint quæ spectemus, at habemus quæ legamus in nobilissimorum Historicorum monumentis, quos nominare nihil est

Historici.

necesse.

neceſſe. Habentur in manibus; in moribus eluceant. Ea dico quæ præclara ſunt in illis expreſſa, quæ *Curius* continenter, quæ *Scipio* temperanter, quæ fortiter *Ariſtides*, quæ ſapienter *Socrates*, quæ toleranter *Phocio*, quæ *Catones* grauiter, quæ denique laudabiliter vuli geſſerunt. Nam ob eam cauſam Hiſtoria vitæ Magiſtra nuncupata eſt. Quanquam ne fallamur, eſt intelligendum eam aliquãdo, vt meritò *Vives* queritur, non tam vitæ quàm vitiorum Magiſtram eſſe. Malè & impudenter *Alexandrum* Magnum, veſanum, vti *Seneca* vocat adoleſcentem, tantis præconijs ob bellicos furores ornârunt hiſtoriæ. Quibus *Cæſar* commotus ad æmulationem *Alexandri* viri tanti; quo parem opinor, laudem conſequeretur, traditur occidiſſe varijs in prælijs vndecies centena, & nonaginta duo millia hominum, præter ciuilium victoriarum ſtrages, quas ipſum puduit recenſere. Quam humani generis tantam injuriam rectè ſcribit *Plinius* ſe in gloriam non poſiturum. Ac Hiſtorici multi ponunt: magnâ principium correptelâ quos cupiditas accendit gloriæ. Ac idem

Viu. l. 2. de cauſſ. artium corrup.

Sen. de benef. l. 1. c. 13.

Plin. hiſt. nat. l. 7. c. 25.

Poëta. flagitium committitur à Poëtis, vt ad eos veniam: qui ſuos *Achilles* & *Vlyſſes* habent, quos laudant ſæpius quàm mirentur. Sunt quæ rectè ſcribunt, vt ad virtutem incitent, ſunt quæ ſcitè fingunt, vt à vitio deterreant. Impietatem in *Gigantibus*, auaritiam in *Tantalo*, ſuperbiam in *Marſya*, temeritatem in *Phaëthonte*, amorem ſui in *Narciſſo*, mundi curas in *Ixione*, in Augiæ ſtabulo congerendarum opum ſordes, in *Tytio* cruciatum impuræ conſcientiæ ſtudioſè cauendum, ingenioſè fingunt. Quid, quòd eorum præcepta & ſententiæ pueris apud Græcos diſcendæ tradebantur, vt ab ijs cum eſſent viri, pòſt vſurparentur, quemadmodum ab *Æſchine* noſtro didiciſtis. Id autem in tragicis Poëtis & Heroïcis, quibus ſaryram & lyricos adijciamus, licet, cum ab illis factitatum eſt, tum faciendum fuit. Nam Comici ferè toti nequitijs, aut ſcurrilibus, aut amatorijs polluuntur: quo magis corrumpunt, præſertim lætos exitus flagitijs cùm affingent. Neque tamen vos celârim, in illis ipſis quos dilaudo, etiam Tragicis & Heroïcis, etiam *Euripide* &

Æſchin. in Cteſ.

& *Homero*, esse quædam quæ contaminent nisi caueas; quæ pro religione tradant opiniones impias de Deo: pro fortitudine mollitiem; pro temperantiâ luxuriam, pro continentiâ libidinem, petulantiam pro modestiâ, pro æquitate auaritiam, pro patientiâ vindictæ studium; deniq; pro virtutibus execranda vitia, legentium & audientium mentibus ingenerent, vt *Platonis Socrates* eruditè probat. Quamobrem, vt in genere de Poëtis loquar, & dicendi finem faciam, quod *Fabius* de nonnullis, id ego de optimis Poëtis asseuerim: Habent, si cum veniâ legantur, quæ possis decerpere. Quæ cum ita sint, vt verbo perstrictum est, infinitis doceri potest; cum & Poëtæ, Historici, & Philosophi nonnulla peccent; ac vt vmbram justitiæ solam habuerunt, ita solam habeant vmbram sapientiæ; neq; licèt nusquam judicio delinquerent, satis efficacem haberent disciplinam ad voluntatis nostræ prauitatem corrigendam: agnoscamus ab hominibus humani nihil alienum esse, & à Dei sapientiâ sapientiam discamus, vt quæ virtutis actio tendit ad Deum,

Plat. de Republ. l. 1 & 3.

Quint. l. 10 c. 1.

ejus cognitio manet à Deo. Solus summè bonus est; agentem imitemur. Solus summè sapiens: docentem audiamus. Hominum vt quisq; Deo est simillimus: sic ejus vel exempla vel præcepta comprobemus. Quarum rerum omnium cum è diuinis literis norma sit petenda, quibus ista Dei sapientia co pmrehensa est: nec opinor desideratis, vt meo præconio vobis eas prædicem; nec si desideretis, eas pro dignitate prædicare possum. Quemadmodum igitur *Timanthys* pictor, immolatæ *Iphigeniæ* referens sacrificium, cum tristem *Aiacem*, mœstum *Vlyssem*, mæstiorem *Menelaum* patrem effinxisset, patris *Agamemnonis* vultum velauit, quòd ejus acerbissimum dolorem arte nullâ pingi posse putatet; in eundem modum, qui reliquas disciplinas sermonis & eloquentiæ, vobis quàm aptissimè potui, depinxi; diuinæ sapientiæ quasi caput obuoluere cogor necessariò, quòd ejus maiestatem nullo penicillo delineari posse puetm. Tantum monebo, hortabor, obsecrabo, vos omnes qui adestis, juuenes ornatissimi, si quicquam consilijs, monitis, precibus impetrari

Sacra Literæ.

trari poteſt, vt quanti ſalutem, quanti vitam veſtrum, quanti vos ipſos, quanti ſempiternam felicitatem facitis: tanti vetus illud præceptum æſtimetis ab optimis Philoſophis celebratum *Deum ſequere*, & veram ſapientiam quæ ducit ad virtutem, virtutem quæ ducit ad beatitudinem, rebus humanis omnibus præferatis

Dixi.

ORA-

ORATIO 3. POST FESTVM NATALIS CHRISTI. 1573.

SI quantum ad corporis valetudinem curandam diligentiæ conferimus, tantum ad animi firmitudinem tuendam laboris impenderemus, non minùs disciplinarum imbueremur præceptis ad comparandam sapientiam, quàm vitæ necessarijs instruimur præsidijs ad conseruandam sanitatem. Verùm vt hoc ab infimis curatur; quòd animum quasi ducem habemus quo corporis incommodis medeamur; sic illud ab optimis studetur quòd animi quo cernamus inopiam, alium quasi ducem non habemus, eaque propter quærimus pleriq; tantummodò, cuncti præcipuè vestimenta, quibus frigus; alimenta, quibus famem à corporibus propulsemus; doctrinas, quibus ignorantiam; virtutes,

tutes, quibus improbitatem arceamus ab animo, vel nunquàm propemodum vel negligenter admodum vestigamus; Quare nobis minus videri debet admirandum, quòd talem messem percipimus qualem sementem facimus: vt corpus accuratiùs quàm animum saginantes, animo parùm firmi, corpore satis fortes, corpore benè pasti, animo malè docti à sapientibus judicemur. Atqui decebat, si quid ego judico, tantò majorem curam haberi animi, qui dominatur corpori, quàm corporis, quod ancillatur animo; quantò sempiterna caducis, cœlestia terrenis, fluxis firma, diuina mortalibus antecellunt. Cùm autem ea sit corporis humani partim peruersitas, partim infirmitas, vt animo suo, si foueas plus satis, parere nolit; si negligas omninò, parere nequit; ea retinenda est nobis æquabilitas, si concordiam in nobis tueri voluerimus, vt neque nihil, neque nimis corpori tribuamus. Namq; si nihil tribuas, corpus contabescet inediâ; contra si nimis tribuas, animus colliquescet inertiâ; quare quod par est tribuas, vtrumque virtutibus coalescet. Ita

neq;

neq; ſolam colamus mentem, ne *Cynicis* præfractiores; neq; ſolam curemus cutem, ne *Cyrenaicis* molliores: ſed vniuerſum curemus hominem, vt Chriſtiani ſapientes eſſe jure cenſeamur. Quis non irridet fatuos phaſianos qui cum volunt delitescere, caput ſolum latebris occultant, reliquũ corpus apertũ habent; ita capiti dum conſulunt, corpori non conſulunt, & corpora & capita à venatoribus capiuntur. At verò prouidos ſerpentes prædicamus qui laboribus & periculis ſic feruntur occurrere, vt corpus, quoad poſſint, præſtent incolume; ſed inprimis caput ab iniurijs defendant; Non eſt ſolius capitis habenda ratio ne *Phaſanis* ſimiles ſtultitiâ; curandum eſt etiã corpus quoad licet, vt prudẽtiâ pares ſerpentibus eſſe videamur. *Carneadẽ* quidẽ tradunt, quod vobis vereor non perſuadebitur, verũtamen tradunt, ita fuiſſe in doctrinarũ ſtudijs & cogitationibus defixum, & demerſum, vt in conuiuio cum accumberet cibũ oblitus ſumere, fame periturus fuerit, niſi *Meliſſa* vxor illius os aperuiſſet, & eſculenta ingeſſiſſet, & poculenta infudiſſet. *Val. Max. l. 8. c. 7.*

Cæte-

Cæterùm vnus extitit talis *Carneades*, fortaſſe nullus; infinitos eſſe puto, fuiſſe lego, *Sybaritas*, quorum mores eneruati luxu, ſic & ſemper & vbique langueſcebant deſidiâ, delitijs diffluebant, vt & gallos & fabros è ciuitate remouerent, ne vel illi cantu vel iſti ſtrepitu ſomnos ſuauium homuncionum interrumperent. Eorum ſanè quidam, vt refert Athenæus, (Græcus; nam interpres Athenæi, Natalis Venetus, locum, vt ſolet, penitus corrupit, & omnem hiſtoriæ gratiam eliſit) ſed eorum quidam cum in agrum deambulâſſet, & agricolas terram fodientes vidiſſet, ipſo conſpectu hominum laborantium, intolerabilem ſe dolorem viſcerum contraxiſſe grauiter conquerebatur. Imò, quod majus eſt meo judicio, nec minùs verum eſt, ſi *Lucilio* credimus, *Marcus Sybarita* cum noctu dormiens, ſibi currere viſus eſſet, labore ſomnij fatigatus, dormire noluit iterum, ne curreret in ſomnis iterum. Vtinam haberemus vel pluros *Carneades*, vel pauciores *Sybaritas*; quanquam à vobis potiùs contendam, vt nec *Carneadis* ſitis, nec *Sybaritarum* ſimiles; quorum

Athen. Dip. l. 12. c. 6.

Anthol. græc. Epig. l. 2. c. 37.

quorum alterum ſpero, non erit opus vt importunè flagitem, ne *Carneadem* æmulemini, vt penè fame moriamini: alterum libentiùs & poſtulare velim & impetrare malim, vt induſtriam amplectamini, ne *Sybaritas* imitemini. Veſtra cuiuſque cura cum animi tum corporis, neutrum vt requiram, mihi locum relinquit, meus amor veſtræ cùm ſalutis, tùm doctrinæ vtrumq; vt poſtulem, animos mihi facit; in altero ne ſitis negando pertinaces, in altero vt ſitis concedendo faciles. Ad ſummam, quia memores, quod aiunt, moneo, veſtram, Adoleſcentes lectiſſimi, ſolicitudinem; inter animũ & corpus; animus vt vigeat ad doctrinam; corpus, vt valeat ad virtutem, ſic diuidatis; vt quod à *Catone* memoratum eſt olim, & viris prudentibus meditandum eſt ſemper, id vobis è memoriâ nunquam elabatur; *Magna cura corporis, magna eſt animi incuria*; ſatis iam ſatis à ſtudiorum opere feriati ſumus, ſatis & ludis & epulis indulſimus, ſat patriæ *Priamoque* datum eſt, cedat tandem *Ceres Mineruæ*, *Bacchus Apollini*, *Vulcanus Muſis*, Iocoſa ſerijs, labori ludicra,

dicra, desidia diligentiæ; reuertamur ad nostrum vetus curriculum; quid vt agatur? vt animus doctrinarum pascatur delitijs. Quemadmodum? Incumbendo vt solemus, vel potiùs vt debemus, Græcis literis. Quorsùm tandem? vt artes linguâ Græcâ consignatas assequamur. Quas artes? alias verborum priùs, alias deinceps rerum. Verborum autem artes cum in Oratione versentur excolendâ, vt propriè, vt neruosè, vt ornatè, propriè *Grammatica*, neruosè *Dialectica*, ornatè *Rhetorica*; *Grammatica* loquatur, *Dialectica* differat, *Rhetorica* dicat, quia superiùs de loquendo & differendo verba fecimus, hodiè de dicendo dicendum mihi videtur. De quo ipso dicere *L.* quidem *Crassus* ineptum esse putat, nisi cum est necessarium: ego verò etiam cum necessarium, arbitror esse operosum: quòd vt *T. Liuius* ad *Ciceronem* laudandum *Cicerone* laudatore opus esse scripsit; sic ad *Rhetoricæ* laudes prædicandas ipsam *Rhetoricam* oporteat adhiberi. Quare non dicam, quod tamen sæpè dictum est, & scitè dici potest, *Rhetoricam* esse rerum patronam

Cic. l. 1. de Orat.

patronam publicarum, coronam artium, Reginam hominum; quæ mores informat, constituit Vrbes, Leges, & Iura, & Iudicia describit, quæ solis hominibus à naturâ tribuitur, solis sapientibus industriâ comparatur; quæ domi gratiam, authoritatem foris, honorem publicè, priuatim commoda; bonis præsidium, sceleratis pestem comparat; quæ præteritos, à metu reuocat; ignauos ad laudem incitat; delectat sensus suauiter, infiniter demulcet animum: virtutes euehit ardenter, perstringit vitia flagranter: senatum, populum, exercitum gubernat; quâ *Demosthenes* Græciam quò voluit inflexerit, *Isocrates* Persiæ Regem domuerit, *Pisistratus* liberos sub jugum redegerit; *Antonius* gladios districtos auerterit; *Hegesias* sanos ad mortem impulerit, *M. Cicero* princeps eloquentiæ conseruârit patriam; *Catilinam* ejecerit, liberârit insontes, nocentes afflixerit, in senatu consilia, in foro judicia, Reip. gubernacula semper tenuerit: vt non fine causâ *Homerus Mercurio* caduceum assignaret, quo vitam, mortem; bellum, pacem; *Iliad. 4.*

pacem; somnum, vigiliam; tempestates, tranquillitates, alijs donaret, alijs adimeret; quòd eloquentia perditos ad salutem ab exitio, miseros ab ærumnis ad lætitiam, obscuros à tenebris ad splendorem, fluctuantes à procellis ad portum traducere videatur. Verùm ista ne non dicendo videar velle dicere; propterea non dicam, quia vel *communia* sunt vel *controuersa*. *Communia*; non enim Rhetoricæ sunt propria, sed *eloquentiæ*; id est, copiosæ loquentis sapientiæ, quæ flosculos à Poëtis, & ornatum à *Rhetoribus*, & argumenta à *Dialecticis*, & exempla ab *Historicis*, & præcepta à *Philosophis*, ab omnibus artibus omnia quæ victoriæ seruiunt, mutuatur. *Controuersa*, magnum fuit homines olim dissipatos contrahere, mansuefacere feros, discordes consociare; & hoc *Rhetorica* fecit, inquit *Cicero*, imò prudentia, inquit *Scæuola*; *Poëtica* fecit, inquit *Eustathius*, jurisprudentia fecit, inquit *Crassius*, Philosophia fecit, inquit *Laërtius*. Alius Musicam artem ex *Orpheo*. Alius justitiam ex *Herodoto*, alius aliam effectricem pronuntiat, cum reipsâ tamen

men nihil prorſus horum id aut effecerit, aut facere potuerit. Diuina prouidentia ſine artibus humanis, homines beneuolentiæ vinculo conjunxit, cùm omnes ab vno parente propagati, familijs & ſedibus ab initio coalüerint: Quare nec omnium ſcientiarum laudes ad vnam *Rhetoricam* transfundendas eſſe cenſeo, ne delicata virgo tanto ſub pondere ſuccumbens concidat, nec in eâ laudandâ, quam omnes adamatis, ſed in vobis monendis conſumetur Oratio; Quid autem moneam niſi quod *Ariſtoteles* in præceptis dedit, non oportere ſuadere mala; id vos vt exemplo probare ſtudeatis, quo virtutem, & veritatem, contra vitium & mendacium eloquentiâ propugnetis. Nam Poëtæ cum eundem *Mercurium* eloquendi, & eundem mentiendi Deum aſſignârunt, non quid à nobis fieri debeat; ſed quid ab ipſis fieri ſoleat; videntur deſignare: *eloquentia* tum demum eſt laudanda, cum veritati paret, vituperanda cum præeſt: ob eamque cauſam, nec defendet *Lupanaria* cum HARDINGO noſtro, Epiſcopo bullato; nec id quod Horribilius

Rhet. ad. Theod. l. 1.

In confut. Apol Eccleſ. Angl. part. 4. cap. 1.

bilius est cum *Iohanne Casa* Legato Pontificio. Non est opus suadere scelera; si coërceas, erumpent; si eliceas, ardebunt? flagrabunt, si comprimas; si accendas, quid facient? malorum cupiditates, & libidines affectuum,

Sponte suâ properant: labor est inbibere volantes.

Ea siquidem flagitiorum fomenta, in optimi cuiusque naturâ delitescunt, vt vnica vitij scintilla plus inflammet, quàm vberrima eloquentiæ flumina restinguant; idque prudenter obseruauit *Ouidius*, apud quem in *Metamorphosi* temeraria muliercula plus vnâ dictiunculâ Phaetonti *Iueni* nocuit ad superbiam, quàm prudentissimi patris eloquentissima Oratio prodesse filio potuit ad modestiam. Quod si Poëtæ cuidam licuit, amicum suum aureo vase vinum acidum ipsi propinantem falsè perstringere.

Quisquam plumbea vina vult in auro? quantò grauiùs nobis licebit eos vrgere, qui verbis aureis virus pestilens nobis propinant;

Quisquam tetra venena vult in auro? Nam etsi fingamus verba esse aurea,

N. S. Hic defendit & laudauit Sodomiam. vid. Sleidan, l. 21. anno 1548.

Liber huius de laudibus præpostera Veneris excusus est Venetijs apud Trajanum Natum.

aurea, tamen si rebus putidis ea farcias; quid aliud, quæso, quàm *Caligulam* nobis refers, cum præsertim vt ille sordes corporis vasis aureis accipere solebat; sic ipse fæces animi verbis aureis eructare coneris? Equidem si quid ego judicare possim, assentiendum arbitror viro doctissimo *Ludouico Viui*, qui neque seriò neque joco, nec ex animo, nec simulatè, aut dicendo, aut declamando, vel oppugnandam veritatem, vel laudanda flagitia, vel materiam quam infamem appellant Rhetores, pertractandam à quoquam arbitratur. Laudauerit *Phauorinus* turpem *Therſytem*, *Polycrates* Tyrannum *Buſiridem*, *Lucianus* artem parasiticam, *Carneades* injustitiam, existimatiunculam fortassis amplificauerunt apud imperitos, nec gratiam inierunt apud bonos, nec laudem à sapientibus sunt consequuti: non quia fecerunt, quod factum multis placuit, idcircò sunt imitandi, sed quia peccârunt, cum fecerunt quod non oportuit, idcircò non imitandi. Nullum caruit exemplo nefas. Quare sequamur consilium *M. Fabij*, qui declamationibus

Orat. Inſt. l. 2. c. 11.

mationibus materias quàm ſimillimas veritati vult tractari; qnòd inter verum dicendi genus, & opus declamatorium, ſi proficiendi ſtudio declamemus, prorſus quàm minimum intereſſe debeat. Nam ſi veris, inquit, cauſis non præparet, aut oſtentationi ſcenicæ aut furioſæ vociferationi ſimillimum eſt; exerceatis ergo ſtylum; id eſt in eo quod incepiſtis laudabiliter, pergatis ſtudioſè; tractandis & rerum & temporum monumentis, reprehendendis vitijs, virtutibus prædicandis, confirmandis veris, conuellendis falſis; ſuadendo, diſſuadendo; querendo, conſolando; concitando, leniendo; ijs denique componendis quorum erit aliquis vſus in vitâ; quæuis vt tractentur, modò mala ne tractentur. *At eſt ſummæ ſolertiæ mala dicendo bonis anteferre.* Poſſe, ſolertiæ, velle malitiæ; improbitatis facere; *at, eſt magni ingenij*; at eſt mali animi; *At ingenium commendat*; at judicium condemnat; *At falſa dicendo tueor, at vera melius agnoſcam*; agnoſcam? Quaſi verò Argentarij aurifices germanos nummos non agnoſcant, niſi cudant adul-

adulterinos; aut peritus grammaticæ latinitatem nesciat, nisi loqui soleat barbarè; aut judex severus nequeat fures examinare, nisi latrocinium commiserit. *At ago ioco; nec enim credo, quæ ludens defendo*; & quidem *Parmeno Terentianus Chæreæ* suasit joco, vt in domum meretriceam deduceretur pro Eunucho; sed melius profecerat arte Rhetoricâ quàm existimârat, nam Chærea fecit seriò quod Parmeno suasit joco. Quemadmodum igitur *Diagoras Florentinus*, joco venenum bibit; seriò mortem obijt: ita declamatores caueant, ne credant seriò, quæ dicere se dicunt joco. *Iulianus* Apostata contra Christianos exercendi ingenij & styli gratiâ tamdiù declamauit, quoad ipse persuasit sibi, & vitam nefariam impiâ morte Parricida finiuit. Iam verò vt materiæ defectu peccamus aliquando, cùm mala bonis, falsa veris, iniqua justis, declamando præferimus; ita vereor ne nonnunquam etiam contextu formæ figuris & numeris liberiùs nobis quàm licet indulgeamus. Quum enim figurarum & numerorum compositio effeminata, viriles

Terent. in Eunucho.

Ionius eloq. defectorum.

sententias eneruet; virilis, infirmiores sententias corroboret; considerandum diligenter quam obcausam, quæ persona, coram quibus, quem in finem agendam suscipiat; ne si vel in nugis moueamus tragœdias, vel in tragœdijs aucupemur delitias, si minùs irridendi, certè miserandi jure judicemur. Dionysius Longinus, Rhetor insignis, de sublimi dicendi genere verba faciens, sublimis orationis dignitatem figuris effœminari, vel eâ causâ pronuntiat; quòd figurarum illecebris qui judices inescat, fraudis & fuci suspicionem parit. Vt primùm quidem offendat homines sapientes, qui se illudi putant si tanquam inepti pueri, à curioso artifice, verborum exornatiunculis titillentur; deinde causam lædat apud imperitos, quod vt amœnæ cantiunculæ, auditorem à rebus abstrahunt, ad sonos alliciunt; sic quæ componuntur exquisitiùs, aculeorum affectum non inserunt auditori, sed concinnitatis. Quamobrem etiamsi quemadmodum Dunsi non probabant *Ciceronem*, quòd careret distinctionibus: ita figuratores reprehendunt Demosthenem, quòd

Lib. de sublimor. genere in fig.

quòd figuris non diffluat. Tàmen & prudenter factum est à *Demosthene*, quòd res seueras & serias, figurarum concinnitatibus delumbare noluit; & diligenter ab *Hermogene* notatum est, vnum tantum compar membris omnibus absolutum, in toto *Demosthene* reperiri. Quid enim faceret? Agnominationibus lusisset; credo; & similia similibus, & contraria contrarijs, & paria paribus cumulâsset. Fur es, ait Pedio; Pedius quid? num argumentis refutat quod actor objecerat? Fecisset *Demosthenes*; sed quid tandem *Pedius?* Crimina rasis librat in Antithetis, doctas posuisse figuras laudatur. Sanè bellum hominem Rhetorem, qui magis laborauit, vt laudaretur tanquam disertus, quàm vt innocens absolueretur. Itaque ipsa natura quæ dux est artis, magistra nobis locuples esse debet, accommodandas varijs sententijs varias esse formas, & varijs affectibus varias figuras; quod alia dolentem, alia lætantem, alia metuentem, alia sperantem, alia pacatum, alia furentem; vt habet cogitatio sic decet orationem. Et ob eam causam

De formis orationis. l. 1.

Pers. Sat. 1.

nunquam vtetur figuris, vt oportet, qui ſententias quaſi ſolum figurarum non attendit. Quemadmodum itaq; nec omnis veſtis omni corpori; nec omnis arbor omni telluri; nec omnis ſapor omni cibo conuenire poteſt: ſic nec omnibus materijs omnes formæ; nec omnibus ſententijs omnes figuræ; nec omnibus argumentis omnia ornamenta poſſunt accommodari. Quòd ſi nobis ratio minùs perſuadet, neque Sycionios calceos Socrati, neque pueriles Cothurnos Herculi, neq; concinniores figuras rebus grauibus idoneas eſſe, ne Rhetorum quidem, & poëtarum & oratorum & Græcorum, & Latinorum, doctiſſimorum hominum authoritas cõmouebit. *Stribæus* Commentario in *Ciceronem* ad *Octauium*, excuſat *Ciceronem*, vel quiſquis autor fuerit quòd (facta) & (ficta) copulans in ſcripto, ita triſti figuram ita lepidam agnominationem intexuerit. *Euſtathius*, autem in illum, *Homeri* locum τὸν δ' ἐπαλαστήσασα πρόσηυδα πάλλας Ἀθήνη. ἐπαλαστήσασα πάλλας, inquit *Euſtathius*, non eſt hic notanda agnominatio, ſed ita fortuitò vocabula cecide-

Strib. in ep. ad Octauium.

Θ diſſ. α.

runt.

runt. Nam *Homerus* in ſerijs eiuſmodi ludicra vſurpare non ſolet. Quis figuras accuratiùs explicauit Cornificio? Quis diſtinxit illuſtriùs? Is igitur agnominationes & ſimiliter cadentia, & ſimiliter deſinentia perarò ſumenda cum in veritate dicemus eſſe monet, quòd magis delectent quàm perſuadeant, artem oſtendant, grauitati detrahant, nec ſolùm autoritatem oratoris minuant, verùm etiam, ſi crebra ſint, auditorem offendant; quòd lepida ſint & feſtiua, ſplendida & pulchra non ſint. Quis omnium Rhetorum *Fabio* diligentior? Quis præceptis acutior? orationem figuris quaſi corpus luminibus diſtinguendam eſſe ſtatuit. Quid igitur ſi corpus orationis omni ex parte luminibus coagmentetur; nonne vetus nobis illud monſtrum repræſentet.

Lib. 4 Rhet. ad Heren.

Lib 9. cap. 1. & 3.

Centum luminibus cinctum caput *Argus* habebat, quæ tamen non vt, Illa ſuis vicibus capiebant bina quietem, cum aliàs alia viciſſim vigilarent & interquieſcerent, ſed potiùs velut *Heſperidum* ſerpens ſacris vigil excubat hortis, cùm ſingulis ſingula ſine diſcrimine locis intertrudantur.

In Orat. & Partitionib. dantur. Nam quid ego de *Cicerone* dicam, qui & sæpe, & accuratè docet festiuas verborum exornationes, in concilijs & iudicijs curam ostendere, fidem minuere, in laudationibus multò liberiùs, moderatè tamen vsurpandas esse. In rebus grauibus vt sint nullæ, in rebus suauibus ne sint, nimiæ; At quantum inter nos & illum interest, ille benè & præclarè sæpe dici cupit, bellè & festiuè nimiùm sæpe non vult; nos etsi plumbeos habemus gladios, tamen eburneis vaginis sic includimus, vt quæ fuit olim ars bene dicendi, ea iam tandem ars bellè dicendi effecta videatur. Ille suauitatem *Isocratis* perstrinxit, quòd suis numerorum & figurarum festiuitatibus intemperantiùs abutatur; nos qui cætera vix gustamus *Isocratis*, figuras, i. næuos *Isocratis* effingimus, vt furiosus Furius qui neruos Fimbriæ non exprimebat, oris prauitatem imitabatur. Ille sic mentem, vt sensus, aspectum coloribus, auditum cantibus, odoratum vnguentis, cibis gustatum, tactum voluptatibus, magis moderatis ait affici quàm suauissimis, quòd sum-

Lib. 2 de Orat.

In Oratore.

mæ

mæ voluptati fastidium maximè sit finitimum. Nos vt homines delicatis palatis, non optimos sed dulcissimos cibos confectamur, alimenta salutaria nègligimus, condimenta voluptuaria præferimus, nec tam vt simus fortes quàm vt videamur formosi, laboramus. Ac imitamur sordidas meretrices, quæ Cerussâ & purpurissâ, & medicaminibus vti solent, vt venustatis augeant decorem, etsi valetudinis iacturam faciant. Nec enim est dissimulandum fieri sæpenumero, vt rationes firmissimas eneruemus, dum scitas exornationes quærimus; nec tam quid dicamus, quàm quemadmodum, curemus; & argumenta conformemus figuris, quas priùs apparamus; non figuras aptemus argumentis; ad exemplum credo sutoris *Florentini*, quem ferunt vestes concinnâsse liberis, priusquam nascerentur; natis autem postea liberis, dubitâsse, quemadmodum ipsos vestibus aptos faceret; Itaque non secus in aciem prodimus, nec aliam vt auguror victoriam reportabimus; quàm *Antiochus*, cuius milites, vt dixit *Annibal*, auro fulgebant *Plutarch. in Annibal.*

bant satis ad pompam, armis ad pugnam nihil valebant: *Patroclus* exultabat in atmis *Achilleis*; sensit
Homer. Il. π. *Hector* nihil aliud esse quàm *Patroclum*; nugæ vestiuntur figuris ornatissimis, videt artifex nihil aliud esse nisi nugas. Etenim inuitus dico, sed tamen dicendum est quod scripsit
Præf. homil. in Luc. Ruffin. cont. Hieron. *Hieronymus* olim de *Ambrosio*, *Verbis ludit; dormitat sententijs*; idem agnosco & in vestrûm nonnullis, & plus quàm velim in meipso dum vobis nimis placere studeo, diffluimus figuris, magis argumentis frigemus; concinni, minùs neruosi.

Ouid. Met. l. 2 *Sub montibus illis*
Montibus, inquit, erant, & erant
sub montibus illis,

figuratè sed falsò *Battus*: verùm incidit in artificem & ipsum artificem mentiendi, qui pari tractat hominem eloquentiâ.

Et me mihi perfide prodis?
Me mihi prodis ait.
Ibant quâ poterant, sed non quâ
non potuerunt;

In fragmen. veter. Poet. Hen. Steph. canit Poëta *Ennius*; quàm venustè retulit contrarijs contraria, in dubio est animus vtrùm magis admirer sapientiam hominum, qui non

ibant,

ibant, quâ non poterant; an eloquentiam Poëtæ qui tam luculenter Antitheta contexuit; Ibant quâ poterant, sed non quâ non potuerunt; An istos in itineribus tantùm ita prouidos fuisse judicatis? immò vel ego fallor, vel etiam in conuiuijs, edebant quæ habebant; quæ non habebant non edebant. Ibant quâ poterant, quâ non poterant, non ibant. Verùm excusandus est opinor *Ennius*. *Ennius* ingenio maximus, arte rudis. Quis enim reprehendat & veterem, & latinum, cum & græci & recentes paria committant. Euripides in Ranis apud *Aristophanem* irridet *Æschilum* quòd *Orestem* induxerit ita loquentem; in istam terram reuertor & redeo: reuertor & redeo? inquit *Euripides*. O suauem Synonymiam! quasi quis vicino dicat, Commoda mihi gladium, etsi vis ensem. Sed hoc frigidiùs & iniquiùs fortassis. Illud acutiùs & aptiùs ad propositum quod tradit *Demetrius Phalerus*, *Epicharmum poëtam* vt ineptia figuratorum antitheta deridet, magis ad delectationis illecebram detorta, quàm ad ipsius rei naturam accersita sic *Lib. de elog.*

ceciniſſe: aliquando quidem inter illos eram ego, aliquando verò ego eram apud illos. Græce hoc melius; ſed eodem in genere, licet diſpari ratione labuntur Angli noſtri, qui nonnunquam etiam in rebus grauibus, ſiue quod neſciant ſiue quod ignorent, quæ ſit vera eloquentia, ludibundi licenter luxuriant laſciuis luminibus literarum; ſic enim ipſi loquuntur & laudantur, nobis non licet eſſe tam diſertis qui Muſas colimus ſeueriores. Equidem cum ineptias iſtas reſpicio, in eam ſæpenumero ſententiam venio, vt quomodo *Varro* dicebat ea bellaria eſſe maxime mellita, quæ mellita non ſunt; & *Menander* eas fœminas eſſe formoſiſſimas, quæ formæ nihil illinunt; & Philoxenus ex piſcibus eos eſſe cæteris ſuauiores qui non ſunt piſces; & *Plautus* eas mulierculas optime olere, quæ nihil oleant; & *Plutarchus* iunenes ijs Philoſophiæ dictis delectari, quæ minime ſunt Philoſophica; ſic eam orationem eſſe putem florentiſſimam quæ non eſt florida, & eas figuras eſſe maxime politas quæ non ſunt figuratæ, quod matronalis grauitas

uitas longè longeque præstet leuitati meretricis; vt ad omne fere orationis genus diffundi possit, quod de libris *Attici* scriptum reliquit *Cicero*, eos hoc ipso fuisse ornatos quod ornamenta neglegerent. *Dionysius* quidem Halicarnassensis præstantissimo vir judicio in opere de antiquis oratoribus duplicem apud Græcos Rhetoricam fuisse scribit; alteram virilem, verecundam, prudentem; alteram effœminatam, lasciuam, languidam; illam Philosophicam, disciplinis politam optimis, Istam Histrionicam, expertem veræ Philosophiæ; Illam Academijs, istam theatris, illam senatu, istam plebeculâ; illam sapientibus, imperitis istam auditoribus digniorem. Iam hæc effœminata, inquit ille, Rhetorica, quod venustate, & vbertate, & concinnitate, & suauitate virilem Rhetoricam præcedere videretur; honores quidem & imperia ciuitatum illi præripuit, sibi vindicauit, cæterùm suis statim delitijs vniuersam Græciam luxuriosorum lustris, & gancorum popinis simillimam effecit. Mutatâ musicâ mutari mores dicit.

Lib. 2. Epist. 1. ad Attic.

dicit *Plato*; quantò veriùs mutatâ Rhetoricâ? Quid enim? An hoc ſolis accidiſſe græcis, ac non etiam Romanis arbitramini? Scribit & fremit *Plinius* ſecundus, orator ſui temporis diſertiſſimus, perijſſe diuinam, perijſſe eloquentiam, quòd omnes ad dulcitudinis aucupium conuerterentur; relictâ rerum curâ; Iudices Imperiti non neruoſas ſed amænas audire vellent Orationes, & mallent aliquid quod delectaret, quàm quod doceret; Oratores inepti praua judicium affectui dictionem aptarent, & afferrent in forum, quod vix theatra quidem ferrent. Ita genus dicendi exſano, & ſobrio, & ſeuero, ad pictum & petulans immutatum, non ad victoriam, ſed ad voluptatem, magis ad delectandum quàm perſuadendum referebatur: vſque eò vt & *Plinius* exclamet. Scias cum peſſimè dicere, qui maximè placeat. Et *Tacitus* Oratorum Orationes ad *Lyram*, & Poëtarum carmina cani lamentetur. Nihil ominabor, & faxit Deus, ne ſit cauſa ominandi. Verùm, vt Rhetoricæ virilis effœminatio non ſolum Græcis verùm etiam Romanis ſyncerum

Vines lib. 4. de tradendis diſciplinis.

Epiſt. l 4.

Dial. de clar. Oratoribus.

Fab. l 5. c. 12.

cerum judicium corrupit, germanam eloquentiam ademit, nefandam inuexit petulantiam; ita verendum est, ne nostrâ nimiâ rhetoricandi mollitiâ & menti peruersitas & linguæ futilitas, & vitæ luxuries importetur. Similium similia sunt consequentia. Quis ergo speret effectum disparem; cum præsertim fiat de nobis, qui non vtilli, profanas conciones de rebus alienis, sed de suis, de diuinis, sacras audire nolunt, nisi quas exornatiùs elaboratas arbitrentur. *Ciceronis* ætate profani Oratores, etiam rauci, etiam indiserti, rerum causâ, quas agebant à viris grauissimis summâ curâ audiebantur. Nostri lasciui, delicati adolescentuli, nectar è vase fictili haurire nolunt; è vitro vel argento nisi hauriant, sitire malunt: an verò legatis principum siue sint balbi, siue diserti, siue *Clodij*, siue *Catones*, eadem defertur à potentissimis Monarchis, & voluntas audiendi, & dicendi authoritas: Dei legatos, si minùs rotundè nobis sensus feriant, & figurarum blãditijs animos titillent, nos humunciones audire grauabimur? Luculenter *Augustinus*; bonorum, inquit, ingeniorum

insignis

insignis est indoles, in rebus verum amare non verba; opus est egò cacaueant, & diligenter caueant qui verba, non verum, in rebus amant, ne, quàm politas aures sibi ipsis: tam profanos animos viris bonis habere videantur. Quid igitur? dicet aliquis, tunc cum Stoicis ornatum Orationis & elegantiam reprehendis? nihilminus: Mel, si quis eo modicè vtatur stomachum fouet & appetitum acuit; si copiosiùs in bilem vertitur, & stomachum retundit. Qui pueris medendi gratiá dant absynthium, oras poculi contingunt melle, ne sit insuaue quod est salubre; quanquam qui sapiunt, etsi careant melle, tamen vt sanentur, absynthium sument. A Philosopho, inquit, *Cicero* si afferat eloquentiam, non aspernor, si non habeat, non admodum flagito; A Philosopho, inquies in Oratore secus est. Immò etiam idem. *Cicero*, non quòd antiquis Oratoribus, inquit, deest flagito potiùs, quàm laudo, quod est; præsertim cum ea majora judicem quæ sunt, quàm quæ desunt: Plus enim est in sententijs boni, quibus illi excellunt; quàm in concinnitate sententiarum

De fin. l. 1.

In Oratore.

quam

quàm non habent. At horridam inquis, Orationem non amo; at nec ego calamiſtratam amo, ornamenta velim, nolim lenocinia: ſatis eſt ſi decoram elegantiam præ ſe ferat: at fumoſa ferre non potes; nec ego poſſum ferre fucoſa: ſatis eſt ſi venuſtam condecentiam aſſequamur. Apes oderunt & odores fœdos, & delitias vnguentorum. At neminem decet eſſe pannoſum. Ità nec quamuis decet eſſe purpuratum: ſatis eſt ſi honeſtus cultus adhibeatur. At nunquam glande veſci deſiderem; quid? & ſemper melle paſci ſuſtineas? ſatis eſt ſi fruge depellas inediam. In ornatu quidem cõporis nec obſoletas ſordes, nec exquiſita pigmenta; ſed decentem munditiam probant viri graues. Quid? & in ornatu Orationis vel incultam duritiam, vel decoctam dulcedinem, non auſteram ſuauitatem probabunt eloquentes? Nunquam aberrabitis ſi mediocritatem auream perſequemini, vt neq; Dunſi, neque figuratores, ſed eloquentes; neq; ruſtici, neq; curioſi, ſed diſerti; nec argumentis inualidi; nec ornamentis illepidi; ſed rebus & verbis.

Ariſt. hiſt. Animal. l. 9.

bis aptiesse studeatis; cum eo tamen, vt semper majorem curam habeatis corporum quàm vestium; id est, rerum quàm verborum, inueniendi quæ doceant, quam eloquendi quæ placeant; ex cognitione rerum efflorescat oportet Oratio; vt figuræ sequantur, non trahantur, non ingestæ sed innatæ; naturali succo decoræ, non aduentitio fuco politæ; non in possessionem alienam irruisse, sed in locum suum migrâsse videantur. Alioqui eueniet si figuris electissimis abjectas sententias & argumenta vestiamus, vt cum Attico rideamur, qui vilia oluscula splendidissimis lancibus & canistris apponebat. Macedones ferreis armati scutis vniuersum prope terrarum orbem debellârunt: post, nacti diuitias argentea fecerunt scuta; & Argyraspides inde dicti, turpiter ab illis quos vicerât sunt concisi. Oratori persuasio, tanquam victoria militi proponitur; quam ad consequendam malo militem animosum armatum ferro, quàm imbellem tyrunculum fulgentem auro. Quare præcipuè sapientiam consectemur, ei quasi comes adhæresceteloquentia; Atq, contemnamus ineptum

eptum illum Italum, Petrum Lætum, tantum Romanæ vetuſtatis admiratorem, vt pro *Petro*, *Pomponius* nominari voluerit; hominem nec meo judicio perindoctum, & ſuo literatiſſimum, qui ſic addictus fuiſſe fertur verbo, facultati Rhetoricæ reipſa putidæ curioſitati, vt ſacras Scripturas nullis amicorum adhortationibus, adduci poſſet vnquam vt attingerit; quamobrem quæſo, ne ſtyſum, ſi Deo placet, labe pollueret. Profectò non erat cauſa cur id metueret. Cæterùm, vt cuidam olim imperito qui *Zeuxidis Helenam* ſibi non videri pulchram aſſeuerabat, *Nichomachus* pictor, ſume, inquit, meos oculos & deam judicabis; ita mihi liceat reſpondere *Pomponio*, qui ſacras literas ſuâ ſententiâ quaſi barbaras condemnat, ſume meum animum & diſertiſſimas judicabis. Siquidem ex Hebræo aptè transferrentur. Nam vetus interpres ex Hebræis & Græcis bonis latina ſæpenumero fecit non bona. Popularia quæ captui populi ſcribebantur, vt intelligerentur ab omnibus quæ omnibus ſcribebantur, vt *Lactantius*. Omninò non ſemper concludunt

Dicho-

Dichoreis, nec ludunt agnominationibus, nec fulminant portentosa, nec ampullas proijciunt, nec sesquipedalia sonant; nec locos & lucos, atrum & Atrox, dirum & durum, pro gemmis intertexunt; nec suauitate carum, & nobilitate rarum, & magnitudine clarum, & eloquentiæ parum, & figurarum harum elegantiam aucupantur. Verùm si veram eloquentiam examines, nullum est genus vel in rebus argumenti, vel in verbis ornatus qui materiæ conueniat, cujus in sacris literis non re periatur etiam perfectio, non dicam adumbratio. Sed de sacrarum literarum eloquentiâ interea *Petro Pomponio* diui *Augustini* authoritatem opponam, qui de hac ipsâ re verba faciens, sacrarum, inquit, literarum scriptoribus non modò nihil mihi sapientius; verùm etiam nihil eloquentius videri potest, & audeo dicere omnes qui rectè intelligunt quod illi loquuntur; simul intelligere, non eos aliter loqui debuisse: sicut est enim quædam eloquentia quæ magis ætatem iuuenilem decet, est quæ senilem. Nec jam dicenda est eloquentia si personæ

Doct. Christ. lib. 4. cap 6.

sonæ non congruat eloquentis; ita est quædam quæ viros summa auctoritate dignissimos planèq; diuinos decet, hâc illi loquuti sunt; nec ipsos decet alia, nec alios ipsa: ipsis enim congruit; alios autem, quantò videtur humilior, tantò altiùs non ventositate, sed soliditate transcendit. Hactenus *Augustinus*, qui & mihi dicendi & vobis audiendi finem imponet. Si tamen hoc vnum priùs quasi faustum inchoantis anni auspicium vobis, eximiæ spei adolescentes, ex animo precatus fuero, vt euadatis prudentes animo, facundi linguâ, valentes corpore, vitâ longæui, copijs locupletes; sed câ lege vt & animum, & prudentiam; & linguam & facundiam; & corpus & valetudinem; & vitam, & diuitias, & omnia Iesu Christopostériora ducatis. Vobis, quos amo quasi quasi fratres, omnia sic opto quasi mihi, vt nouus annus, & nouus animus, noui menses, & noui mores, noua tempora, & noua studia veterem è nobis hominem sic euellãt, & nouum in nobis hominem sic informent; vt semper ab eo renouati ad virtutem, qui solus obsoletis nouitatem tribuit

buit, cum omnium tandem rerum fiet renouatio, noui homines ad nouam patriam, noui ciues ad nouum cœlum; noui Israelitæ ad nouam Hierosolymam omnes euehamnr

Dixi.

ORA-

ORATIO POST FESTVM PASCHATIS.

1574.

PYthagoram ferunt *Epimetheum* in fabulis præpoſuiſſe *Prometheo*, cujus conſilium minùs probabat, quòd homini rationem largitus eſſet: cum eâ, tanquam flammâ, ad exitium, vt incendium, homines abutentes, tantò miſeriorem in terris vitam agant, quantò paratiorem ad malamentem habent. Inconſultè *Pythagoras!* Nam ſi quòd rationem non ad exercendam virtutem adhibemus ſed ad comparandam nobis prauitatem, alijs perniciem, reprehendendum fuit: non illum, *Prometheum*, id eſt, Deum, qui conceſſit, ſed nos *Epimetheos*, id eſt homines, qui abutimur, improbare debuit. Eſt enim profectò illius Academici apud *Ciceronem*, in Deum periniqua, vel impia potiùs, in homines

mines peracerba, sed vera Oratio; quâ severè conqueritur cum ratione rectè facere, ratione peccare liceat; alterum & à paucis, & rarò, alterum & sæpè & a plurib⁹ solere fieri. Cujus mali radix cùm è deprauatâ naturâ nostrâ germinans, corruptis humanæ vitæ institutis alatur & adolescat; eos continuò fructus effundit, cùm morum improborum, tùm inanium opinionum, vt venenatis scelerum & errorum morbis tetram moralibus pestem machinetur. Quæsita est igitur his morbis medicina, quæ vanis opinionibus veritate cõpressis, & impuris moribus virtute refrænatis, si minùs omnes malorum fibras, at saltèm fructus resecaret. Sed majus erat opus, quàm quod ab homine posset confici; *Deum*, res illa *medicum* poscebat. *Philosophi* quidem animorum medici & esse volebant, & solebant dici. Quanquam autem eorum aliqui tales erant medici quales *Clodiani*, quibus ad necem, non salutem hominum, *Clodius* vtebatur: tamen certè præstantissimi conatu satis acri, sed impari successu sanandis pestibus animorum suam operam nauârunt Itaq;

taq; cum mentem fontem esse actionum viderent, quæ bonos purgata, deprauata malos mores effingeret; omnem suam operam ad veritatis eruendæ studium contulerunt, quæ mentem corruptelis errorum liberaret Hinc, vt omittam alia laudanda Græcorum Philosophorum instituta, disputandi ratio primùm emersit; vt quæ singuli minùs accuratè perueſtigare poterant, aliorum operâ conjunctis viribus faciliùs inuenirent. Nam istam fuisse, vt ratione præstentissimam sic antiquissimam vetustate disputandi causam, demonstrat *Socrates* apud *Platonem*; qui verbis vltrò citroq; habitis, noli, inquit,, *Protagora*, existimare me tecum disputationem ob aliam rem instituere, quàm vt ea discutiam, quæ mihi dubitationem afferunt. Scitè enim illud *Homerum* dixisse arbitror, si duo simul eant alterum altero facilliùs perspecturum, quid facto sit opus, vnus solus si cogitauerit, & animo segniore & minore consilio sine dubio futurum. Ceterùm vt humani sensus peruersitas libenter à melioribus ad pejora degenerat, & insitâ prauitate,

uitate, quâ pestilentèr inficitur, re-
bus integerrimis aspergit labem:
quod inuestigandæ studio veritatis
primò susceptum est, id embitiosæ
studio victoriæ sensim corruptum
est; cùm magis vt seipsos ostenta-
rent, quàm veritatem ostenderent,
à multis disceptaretur. Laudabiles
Philosophorum conatus, Sophista-
rum cupiditas deprauauit. Itaque
neglecto literarum fructu, qui sum-
mus ad animos virtutibus imbuen-
dos erat redundaturus è cognitio-
ne veri, abjecti animi partìm pecu-
niæ, partìm gloriæ cupiditate rapti,
magis vt ipsi viderentur doctissimi,
quàm vt alios rebus optimis in-
struerent, laborantes; contentio-
onum fouendarum libidine syncè-
rum veritatis studium oppresserunt.
Commouit se quidem aduersus ar-
rogantes istos sophistas in primis
Socrates, & promouit aliquantùm,
excitaris præstantibus ad eorum in-
solentiam minuendam ingenijs: sed
erat infirmior medicina morbo,
(quid enim aliud est existimandum?)
cùm adeò præsertim post tot anno-
rum secula vis eius exarserit, vt non
Ethnicas *Athenas*, sed Christianas
Academias

Academias polluerit. Est enim quorundam, non in priuatis latebris expressa leuiter, sed defensa pertinaciter in scholis publicis opinio, non esse consumendas in studio vel propugnandi, vel eruendi veri disputationes, sed in *Aristotelis* opinionibus quibuscunq; etiam absurdis & impijs defendendis. Quam sententiam impurissimam, prodigiosam dictu, pernitiosam vitæ, judicio pestilentem, fuisse qui protulerit miror; non deesse qui probent, doleo, probandum esse nemini scio. Vobis quidem omnibus. *Adolescentes oruatissimi*, qui rectâ rationis normâ, non prauâ consuetudinis regulâ conformandum esse vitæ cursum cognoscitis, & detestabilem videri spero, & vt perpetuò videatur, opto. Omninò perdifficilis est illa *Xenephontei Herculis* deliberatio; vt vobis deligatis. quam viuendi viam ingressuri sitis. Sed quoniam ineunte jam adolescentiâ pubertatis annos pridem attigistis; vt, quod egregiè monet *Cicero*, genus ætatis degendæ constituere, vel constituisse potiùs, & constitutum modo persequi debeatis: oportet id vobis seriò sit me-

ditatum maturo consilio de re grauissimâ, quod vobiscum vitæ genus sequi decreueritis. Vt *Herculi*, sic vobis voluptas & virtus in biuio sunt propositæ: virtutem quin optetis non dubito, sed virtutis multa [a] studia, & quid è multis anceps consultatio. Equidem si me autore vtamini, suadeam & chariſſimis, quod mihi est chariſſimum, & optimis ingenijs, quod scio esse optimum; vt humanæ sortis memores, miseris mortalibus ab iniquitate ad iustitiam, ad sapientiam, ab ignorantiâ deflectendis, Deo quàm simillimi, quoad potestis, efficiamini. Sed siue ista, siue alia sunt vobis deliberata, siquidem ad finem cum fructu tenditis: (tenditis quidem certè nisi prorsùs insanitis:) quemadmodum sagittarij semper ad scopum tela collimant, & nauicularij semper ad portum vela intendunt, similiter vobis semper ad finem studia sunt dirigenda, vt ea discatis, dum adolescitis, quæ, cùm maturueritis, vobis sint vsui. Quæ non proseminantur, dum ver ætatis viget, sine dubio non metentur, cum autumnus aduenerit. Qualem facis sementem, talem

[a] *Stadia forsasse legendum*

talem messem expecta. Quid autem impedit, cum idem labor sit insumendus in bonis & malis frugibus seminandis, quin solo fœcundo fruges vtilissimas spe certâ prouentus vberrimi committamus? An quisquam ita demens esse potest, vt malit cum *Vlysse* furorem simulantem serere, quàm cum *Laërte* semen spargere? Quid aliud porrò faciunt, qui nescio cuius *Vlyssis* exemplo, errorem, quasi salem, sed insulsum, adolescentibus, primis annis, aspergi volunt, veritatem quasi semen posterioribus annis reseruant. Quasi verò juuenem quem adhuc flexibilem erroribus pertinacitèr tenendis & tuendis assuefieri coëgeris, eum jam induratum, ad contrarium credendi quasi crescendi rationem contorquere possis. Cum hoc ne agricolæ quidem ignorent, arbores nisi maturè grandescant, interèà dum sunt teneræ, vix vnquam ad aliquam proceritatem peruenire. Qui non fert vitulum juuenis, non feret bouem senex. Ac mihi sanè videtur aptissimè in illos cadere, quod sensit *Cæsar*, qui cum peregrinos *Romæ* quosdam diuites vidisset ferentes

tes in gremijs ac in delitijs habentes, ſimiarum catulos, rogauit an mulieres in illorum regionibus pueros non procrearent; perſtringens eos grauiter qui hominibus erga homines inſitum amorem in beſtias profunderent. Nonnè grauiorem reprehenſionem multò merentur, qui, cum ipſis, ſciendi ſtudium & loquendi facultatem Deus ingenerâri, prætermiſſis optimis ad errores & ineptias diſcendas & defendendas vtrâq; abutuntur. Quas ſi quis roget quorſum; id faciant; ita dico, quorſum; (nam id præcipuè ſpectandum eſt, quem finem proponant laborioſo ſtudio, quem fructum laboris infructuoſi quærant) ſine controuerſiâ non poterunt inficiari, vel nullum ab illis bonum finem reſpici, quod eſt improbitatis; vel ad finem quem reſpiciunt, peruerſa viâ tendi, quod eſt imprudentiæ. Cum *Pyrrhus* in Italiam ex Epyro, pro Tarentinis contra Romanos bellum ſuſcipiens, profecturus eſſet, *Cyneas Theſſalus* Orator diſertiſſimus qui plures dicendo, quàm *Pyrrhus* dimicando ſubegit vrbes, eum ab incœpto ſpecie generoſo, reipſâ temerario

rario vehementer est dehortatus; & Bellicosi quidem, inquit, ô *Pyrrhe*, sunt Romani, multisq; validis gentibus dominantur: quòd si Deus nobis victoriam concedat, quid faciemus victoriâ? Romanos, inquit *Pyrrhus* cum domuerimus, nulla nobis ciuitas neq; Græca, neque Barbara poterit resistere, quin vniuersam statim Italiam debellemus; tum *Cyneas* Italiam, inquit porrò cum redegerimus in potestatem, quid tum agemus *Pyrrhe*? hîc ille, in propinque est inquit, Insula Sicilia, diuitijs locuples, incolis abundans, & dissidijs valdè feruens; nec præsidijs satis valens; bene narras, inquit *Cyneas*, sed hiccine finis erit nobis militiæ Siciliam occupare? Quid tum agemus, *Pyrrhe*? Largiatur nobis Deus successum prosperum, inquit *Pyrrhus*, & istis ad majora quasi præludijs vtemur; quis enim ab *Africâ*, quis à *Carthagine* sibi temperet? Quam *Agathocles* Syracusis clam profugiens, paucis nauibus pœnè cœpit, planè domuit. Iam his demùm omnibus sub jugum redactis, neminem hostium nostris armis obuiàm iturum quid opus

est referre? Non est opus, inquit *Cyneas*; nam tantâ potentiâ recuperare Macedoniam & obtinere Græciam, & occupare Thraciam, & Achaiam debellare sine dubio poterimus, sed vniuersa cum tenuerimus, quid tum agemus *Pyrrhe?* Hic ille paulùm insistens & subridens. Quid tum agemus *Cynea?* Hilaritati nos trademus & jucundis conuiuijs, & facetis colloquijs nos ipsos oblectabimus, Quæ cum dixisset *Pyrrhus*; quæso quid impedit, inquit *Cyneas*, quin omissâ Italiâ, & Siciliâ, & Africâ; quæ sine multo sanguine comparari nequeunt, nec sanè magna commoda cum parantur, afferunt, hilaritati statim & lætitiæ nos tradamus, conuiuia & colloquia quibus sine molestiâ perfrui possumus, cur infinitis *Pyrrhe* periculis aucupamur? Quanquam ego *Cyneæ* par esse non possum eloquentiâ, tamen vos prudentiâ Regem *Pyrrhum* anteceditis. Cæterùm vt *Pyrrhus* in *Epiro* jucundum otium se concupiscere verbis est professus, cum calamitosum sibi negotium factis accerseret: Ita multi in Academiâ velle doctrinâ & pietate imbui

bui, dictis præ se ferunt, cùm & literarum & morum corruptelas studijs persequantur. Quos si posset aliquis CYNEAS examinare, quid essent tum facturi; & quid tum facturi; quoad finem destinatum animo consequerentur, quid factitare solent video; quid responsuri fuerint nescio; nisi quod ex factis auguror eos Parisiensem quendam sequuturos, qui cùm artibus studeret, cupiditate flagrans gloriæ, vt *horribilis Sophistæ*, tanquam *Scipio Africani*, cognomen inanscisceretur, quod vehementer ambibat; Poëtas, & Historicos, & Philosophos, & Politissimos quasi nugas non attingens; de logicis subtilissimas Nominalium, & Realium, & Vniuersalium, & prædicabilium & prædicamentorum & demonstrationum argutias: de Ethicis, felicitates simplices & aggregatas; diuinas & humanas; actiuas & contemplatiuas: de Physicis, motus subsstantes & inhærentes, & primi mobilis, & vniformes; æternitates mundi, & infinitates rerum, & admiranda quædam de animæ potentijs non ex *Aristotele*, quem

Græcè loquentem non intelligebat; ſed ex eo, quod *Ariſt.* dicere ſomniabat, lateribus Milonis, clamore Stentoris æneâ fronte, ferreâ voce, plumbeâ mente, ligneis diſtinctionibus, in ſcholis publicis tanquam *Athleta*, verbis & pugnis cum eſſet opus defendebat. Si Theſſalo Cyneæ cum iſto Pariſienſi negotium eſſet; haud ſcio, an auderet cum interrogare, poſtquam Logica, & Ethica & Phyſica ſic diuexâſſet; quid tum facturus eſſet. Horribilem ſophiſtam neſcire quid agat putas? Vide quid dicas; periculoſum eſt laceſſere & iratum & armatum; verùm ſi mihi id ipſum â noſtris horribilis ſophiſtæ longè diſſimilibus, nonnihil tamen conſuetudinis errore labentibus, ſciſcitari liberet; reſponderet credo ſe tum demùm rectas opiniones, & vtilitatem artium & veritatem rerum, relictâ quam ſequebantur ſcholarum conſuetudine, quæſituros ac defenſuros; quò diſciplinis grauioribus meliùs vacare poſſint. Quid igitur, inquam, quæſo, tandem impedit, quin omiſſis iſtis ſubtilitatum nugis, & erroribus opinionum in tradendâ dialecticâ, & vtrâque

vtrâque philoſophiâ; quæ ſi rectè diſcantur, maximum adiumentum; ſi ſecùs, detrimentum ad res maiores afferre ſolent, ſola quæ vera ſunt ac vtilia, quæ & doctrinam augent & probitatem, cùm animis percipere tum linguis defendere continuò meditemur? Veritatem & virtutem quas ſine peruerſitatibus ſequi ſtatim poſſumus, cur poſt immenſas demùm ineptias aucupamur? Iſta ſi dicerem fortaſſis illis non perſuaderem. Ne *Cyneas* quidem, qui tamen benè ſuaſit, perſuaſit *Pyrrho*. Sed expendite nihilominus quid ſit conſequutum. *Pyrrhus Italiâ & Siciliâ & Africâ* fruſtratus, *Argis* mulierculæ manu confectus, iuiundum otium, quod appetiuit, nunquam attigit. Deteſtatis exitum? ne ſequaris exemplum. Si tendis ad optima, quin ſtatim eniteris Si putas vitioſa, cur tandem aggredieris? Omnis in bonis inepta eſt procraſtinatio. In alijs rebus *ſat citò, ſi ſat bene*; in iſtis ſine dubio ſat benè, ſi ſat citò. Morbos corporum è veſtigio curamus; morbos animorum in annum differimus? At enim, inquis, in concione differens, cum ero Theologus

veritatem propugnabo; adoleſcens Philoſophans, errores in Scholâ Philoſophorum defendam. Quis tu es hominum, homo ſtolidiſſime, qui præſcribis Deo, quando piè ſis loquuturus? Craſtinum potes tibi polliceri? Quî ſcis an in medio curſu præcidaris? Namquid habes diploma diuturnitatis vitæ?

Sera nimis vita eſt craſtina, vivè hodiè.

Qui non eſt hodiè, cràs minùs aptus erit.

In craſtinum differs ſeria; quid ſi pereas ante craſtinum *Archias* quidam *Thebanorum* Tyrannus, vt eſt apud *Plutarchum*, cùm illi compararentur ab aduerſarijs inſidiæ, déq; eo ipſo inter cœnandum literas accepiſſet, quas à nuntio rogabatur, vt confeſtim legeret, vino ſe proluens, In craſtinum, inquit, ſeria, & acceptas literas puluinari ſubjecit; eâdem nocte mactatus eſt. *Iulius Cæſar*, cùm in Senatum ingrederetur ad conjuratos, libellum à quodam conſpirationis indicem accepit, ſed non aperuit, in veſperam diſtulit: eodem die confectus eſt. Auertat Deus omen! Sed eſt incertum, quid veſper

per ſerus vehat; & quis ſpondebit non euenturum nobis quod illi euenit? Humanus animus eſt ferrũ: dùm in igne eſt, feri. Prudenter *Alexander* qui rogatus quo modo potitus eſſet *Græciâ*, nihil inquit, procraſtinans. Cæterùm fingamus non poſſe cuiquã contingere, quod *Cæſari* quod *Archiæ* contigit. Perſuadeamus nobis; tanquam *Sybyllam* in fabulis cum *Apolline*, ita noſtros reipſâ cum Deo pactos eſſe de vitâ ad ſeram ſenectutem protrahendâ: Nũ idcircò defendédis falſis opinionibus juuenes aſſueſcemus; vt defendeeins veris prauam conſuetudinem ſenes corrigamus? Contrahenda eſt, opinor, ægritudo corporibus, vt ſanenter; oculis lippitudo, vt depellatur; maculæ veſtimentis, vt abluantur; auro ſcoria, frugi lolium, flamma tectis, error animis, vt emundes, euellas, extinguas, expurges, quod infeceris, inſeueris, inflammâris, polluеris. Inſtituis muſicum? Abſurdè canat; concinnè, cum in templo fuerit, moduletur. Informas Grammaticum? Loquatur barbarè; cum ad vſum loquendi venerit, dedíſcet. Oratorem erudis? Soloeciſmis quaſi gem-

mis

mis, in ſcholâ, quæ dicet, ornet; politè dicat, cum in foro cauſas agat. Quid? túne teneris ingenijs tam intolerandam iniuris arrogantiam, vt adoleſcentuli cum viris, latina cum Grammaticis, diſerta cum Oratoribus, vera cum Theologis vſurpare audeant? Quid hoc eſt aliud quàm artes confundere, prophanare ſcientias, Academiam excindere; quod niſi maturè ſeueris Magiſtratuum edictis coërceatur, actum eſt de Philoſophiâ? Dic ſodes. An eſt opus veritatem in Scholis defendi, cùm Euangelium annos quindecim fuerit prædicatum? Quid Philoſophis cum Theologiâ? Quid iuuenibus cum veritate? Licebit quidem olim, cum in ſuggeſtu erimus, veritatem liberâ voce defendere. Nam in ſcholis profectò, ſacramento obſtringimur ad propugnandos *Ariſtotelis* Philoſophorum principis etiam errores, præſertim malorum conſuetudine ſtipatos: ô fulmina rationum! & erit quiſquam tam impudens, qui tam validis argumentis; tam perfidus, qui ſacramento; tam arrogans qui maioribus; tam peruerſus, qui conſuetudini, veritatis neſcio cujus

jus gratiâ resistit? Quid Philosophis cum Theologiâ? quid juuenibus cum veritate? id est, quid ægrotis cum medicinâ? quid famelicis cum annonâ? ô nos seditiosos! qui vel illos sanari vel istos pasci volumus! at obstringimur sacramento; sic enim gloriantur, si ad mala obstringimur, est factu nefarium; sceleratè promittitur, sceleratiùs præstatur. *Quantò tolerabilius*, inquit *Ambrosius, tali fuisset periurium sacramento*. Verùm non obstringimur. Eáque propter cùm ista jactant, non nobis perfidiæ, sed sibi impudentiæ labem aspergunt: Meritò id quidem. Quid enim mirum eos mentiri, qui defendunt veritatem, non esse defendendam. At imitandi sunt maiores! verissimè dicis; & id affirmat *Cicero*. Sed quid adjungit, quæso? *id* inquit, *primum excipiendum, ne vitia sint imitanda*. At disputandi gratiâ tueri falsa, leue est! quid exilius phalangio? & tamen quoscunque vel attingit modò, tum dolore, cruciat, tum dementes facit. At joco tantùm dicunt, quod defendunt. Cauendum igitur, ne quemadmodum apud *Plutarchum* pueri ioco

ranas

ranas feriunt, ranæ seriò mortem obeunt; sic ipsi joco errores defendant, errores seriò alijs inhæreant. At fieri solet; at non debet. Viuitur legibus, non exemplis. At multi faciunt; at malè faciunt. Nullum caruit exemplo nefas. At jubet authoritas! primùm non credo, deinde si jubet, peccat. At parendum Magistratui! parendum, quis negat? sed videndum quatenùs. *Faueo Curioni*, inquit, *M. Tullius, Cæsari honestissimè cupio; pro Pompeio emori possum, sed tamen ipsâ Repub. nihil mihi est charius.* Ita maioribus nostris fauemus; consuetudinem magni existimamus; authoritati summo studio paremus: sed tamen ipsâ veritate nihil est nobis charius; vt cum multum consuetudini, plus authoritati, tum veritati plurimum, vel omnia potius tribuenda iudicemus. Etenim vt *Cato* ille *Vticensis* cuidam roganti, quem maximè amaret, respondit, Fratrem; quem deinceps, fratrem; quem tertiò, fratrem; nec quicquam aliud respondit, quàm fratrem: in eundem modum, si quis ex me rogaret, quid inprimis putem esse defendendum, vetitati & primas

primas & secundas, & tertias deferre non vererer. Obijciat aliquis rectum id quidem esse & optandum, sed obtineri per obstinatam multorum dissentientium pertinaciam non posse. Respondeat *Cicero*, fortasse posse; quòd si non possit, vi opprimi in bonâ causâ melius esse, quàm malè cedere. An potest dubitari, quin bona causa sit, quâ nihil agitur nisi vt vos quàm optimi, & quàm doctissimi, quàm primùm euadatis? Quid enim virtuti magis aduersarium, quàm aut pertinax falsi tuendi cupiditas, aut impudens cordis & linguæ dissidium? quid porrò doctrinæ magis perniciosum, quàm aut falsas de rebus opiniones concipere, aut in discendis, quæ dediscas, ætatem optimam consumere? Nihil addo de meo. Confitentur illi quæstiones illas putidas de quibus controuersamur, quarum defensione meditandâ, vim memoriæ, florem ætatis, aciem ingenij solent conterere, cùm ad maturiores annos peruenerint, non solùm non habendas pro veris, verùm etiam vt falsas repudiandas. Quod cùm concedant, velim mihi respon-

deant,

deant, primùm an ista non sit pœna *Sisyphi*, immane saxum ad montis fastigium sudando voluere, quod statim reuoluatur. Deinde, si pœnam fortassis esse negent; annon sit labor *Penelopes* per totos dies magno studio telam texere; quam noctibus retexas. Postremò; vt non sit labor, quæro an possint, si maximè velint, ea quæ sibi tot cuneis infixerunt, vel omninò euellere, vel euellenda credere. *Themistocles* quidem, cum ei *Simonides* artem *memoriæ* polliceretur, artem *obliuionis* se malle dicebat; nam meminerat, quæ nollet. Nostri nihil habent sanè quod discant, quærenda est illis ars dediscendi; nam discunt, quæ non debent. Et hîc fortassè erro, sed habeo persuasum; quantò difficilius fuit *Themistocli*, quæ displicerent, obliuisci, quàm meminisse quæ liberet; tantò difficilius futurum nostris dediscere vitiosa, quàm discere probata. Rarò eluuntur prorsus inusta; semel putrefacta serò condiuntur. Oraculum puta, si me audis, quod ait Iuuenis apud *Terentium*, *tu quid cauere possis, stultum est admittere*. Nam inuenies esse verissimum,

mum, quod ait senex apud Senecam, *dediscit animus serò quod didicit diu.* Si vos putarem eorum esse similes, qui potiùs autoritate quàm ratione commouentur, hominis lucernâ quàm luce veritatis, afferrem vobis non *Theologos*, quos isti spernunt, vt nimis Christianos dicam an seueros? sed afferrem vobis tres summos Philosophos, *Platonem*, *Aristotelem*, *Plutarchum* vnâ voce consentientes, pueros rectis tantùm opinionibus & institutis bonis statim à teneris assuefaciendos. Quòd si *Aristoteles* verborum obscœnitatem, ad vitæ turpitudinem viam esse confirmet in extremo 7. Lib. de Repub. ideoque scribat eum vniuersæ ciuitati, tum inprimis adolescentulis cauendum esse maximè, ne quid vnquam obscœnum aut dicant, aut spectent, aut audiant, aut agant: quid eum de sententijs, non dico impijs, quas ipsa scholarum saxa, si loqui possent, reijcerent, sed à vero alienis, non defendendis tantùm, sed veldicendis modò judicaturum fuisse arbitramur? viderint quid *Aristoteli* suo respondeant, quem verbo defendunt, reuerâ deserunt cum

cum exemplo faciunt quod ipse, ne fiat, prohibet. Sed mitto *Philosophos*; audiant *Rhetorem*; aut si Rhetorem contemnant, audiant veritatem expressam à summo *Rhetore*, qui sensit esse *optimum optimus primum imbui*, quòd maxima in eluendis, quæ semel insederint, vitijs sic difficultas; cùm onus dedocendi sit gratius quàm docendi. An hoc in linguâ præceptis eloquentiæ formandâ verum est; in animo, qui formatu longè est difficilior, sapientiæ perceptis instruendo, falsum? Laudatur ab *Aristotele* & meritò illud *Theodori* cuiusdam Histrionis, qui nullum vnquam Histrionem, ne contemptum quidem, ante se prodire in theatrum passus est. Quamobrem tandem? nimirùm propterea quòd existimaret, aures spectatorum ijs, quæ prima audiunt, captus occupari. Quod ipsum quandoquidem in alijs rebus vsu venit, vt quæ prima sunt oblata, sint nobis omnia probatissima, ob eam causam, inquit *Aristoteles*, (quem sæpius cito. vt nobis qui non credunt, credant saltem suis,) curandum est sedulò vt adolescentibus quicquid est malum & vitiosum,

vitiosum, id omne sit incognitum, & peregrinum; inprimis autem ea, quibus inest vel turpitudo, vel animi offensio. Ista ex *Aristotele* fuerant obseruanda, & prædicanda laudibus, non cum araneis, si quid inest mali è floribus excerpendum, & publicè propugnandum. Quod vtinam prauas opiniones deponere tam esset procliuè quàm ipsi arbitrantur: sperarem eos qui tam præclarum institutum peruicaciter oppugnant, de suo faciliùs errore discessuros. Sed non est ita nobis liberum arbitrium, vt possimus opiniones, tanquam calceamenta exuere cum velimus, & cum velimus induere;

--facilis descensus Auerni,
Sed reuocare gradum, superasque euadere ad auras,
Hoc opus hic labor est.

Non est datum cuiuis, vt animum quasi ceram ab erroribus ad veritatem, ad probitatem à flagitijs inflectat cum libeat,

Pauci quos æquus amauit
Iupiter, atque ardens euexit ad æthera virtus,
Dijs geniti potuêre.

An

An vero præstantissimi Doctores *Ecclesiæ*, sacrarum scientiâ literarum instructissimi, varios errores è scriptis *Philosophorum*, semel perceptos, nunquam ex animis eximere potuerunt; de *genijs*, *animis*, & *intelligentijs*, ex *Platone*; de *libero arbitrio* & *operibus* ex *Aristotele*; quæ legendo tantùm tanquam in transcursu leuiter degustauerant; rudes & imperitos rerum adolescentulos cum illis ne minimâ quidem parte conferendos, opiniones prauas, quas ex *Aristotele* non degustant, sed ingurgitant; non legendo, sed defendendo; non negligenter, sed summo studio; non quasi falsas, sed vt verissimas saltem lumine rationis, ab ipsâ Philosophiâ confirmatas, à *Deo Philosophorum* expressas, in imis visceribus infixas, extirpare cum voluerint, vel potius noluerint, (cur enim volent cum imbiberint?) posse judicabimus? Quod non potuit ORIGENES, CHRYSOSTOMVS non potuit, id poterant infantes, quiuis è vulgo poterit? optare id quidem Christianum, sperare arduum, polliceri temerarium. Cum Regina *Cleopatra* sibi aspidem admouisset,

mouiſſet, cujus veneno conſopita concidit, *Auguſtus Cæſar*, vt eam ſanaret, ſtatim & pharmaca, & *pſyllos*, genus hominum, qui venena ſerpentium incolumes exugunt, corpori adhibuit. Serò! venenum, corde jam occupato, vitalem illi calorem extinxerat. Venenum aſpidis, eſt praua opinio, quæ ſi ſemel animum hominis infecerit, fortaſſis ad virus vel eneruandum pharmaca, vel exugendum *pſylli* poterunt adhiberi; vtinam ne ſerò! Sed qui videt quid vſu veniat, is ſecum ipſe, ſi ſapit ſentiat, hoc periculum in me fieri graue eſt. At non eſt periculum, dicet aliquis. Fortaſſe tibi ſic videtur. *Platoni* ſecùs. Apud quem *(in Amatoribus) Socrates* adoleſcentem admonens, valdè admodum cauendum, quibus diſciplinis, & artibus imbuatur, affirmat magnum eſſe periculum, in comparandis diſciplinis, propterea quia non, vt cibos corporis vaſis alijs auferre licet, & cum peritis capere conſilium, noxij ſint, an ſalubres, antequam veſcamur; ſic eſcas animi, id eſt, diſciplinas vaſis alijs auferre licet, vt priùs exploremus quàm accipiamus

mus, quòd alio vase, quàm animo non capiantur: vt siue prosint, siue noceant, postquam acceperis, eo sint retinendæ. Sed quid *Platonem* dico? si nihil est periculi, cur POLVS *Cardinalis* in illis legibus, quas *Academiæ* nostræ præscripsit, commisit Magistratibus inquirendum, *An aliqui in lectionibus, vel disputationibus, vel etiam quibuscunque priuatis colloquijs, verba effutirent, quæ hæresin directè vel indirectè saperent,* (ipsius verbis vtor) *aut in contemptum Ecclesiæ vel Ministrorum eius cederent; aut quouis demum modo pias aures offenderent?* Cur delecti *Cardinales* in *Nicæno* Conuentu, *pernicioſum abusum* vocant, quòd in publicis Gymnasijs non omnes quæstiones ad excindendos *Philosophorum* errores, ad promouendam pietatem dirigantur? Cur totius *Concilij Lateranensis* consensu *detestandi & abominandi non modò hæretici*, verum etiam *infideles* pronuntiantur, *quicunque dissidentes à fide Christianâ, quæstiones vel secundum Philosophiam esse veras asserunt?* Cur ista, cur alia, quæ sunt in medium prolata, veritatis ipsius testimonia, rationum clarissi-

clarissimarum firmamenta, *Hieronymi* & *Augustini*, & aliorum insignissimorum hominum judicia, non refelluntur, si sunt inepta; si *nihil sit periculi?* An, quod de *Philosophis* ait *Lactantius*, non audent vel cognoscere, vel congredi, quia se facilè sciunt superari? An conscientijs testibus premuntur, se deteriora melioribus anteferre? An vt *Romanus cedendo* vicit, sic ipsi *tacendo* se victuros sperant? Profectò malæ causæ, quasi noctuæ, lucem fugiunt; opiniones rectæ tanquam Aquilæ, solem intuentur. Nam si causa bona est, cur tergiuersantur? Etiam atque etiam instamus, & vrgemus, vt ea quæ dicuntur, vel conuincant, si falsa; vel si vera, concedant. Quid est cur nolint, opinione prauâ, vel liberari, si falluntur ipsi, vel liberare, si nos hallucinamur? Iuuenes ingenio judicióque præstantes nupèr in publicis disputationibus hæc eadem defenderunt. Ecquid à quoquam contra est allatum, quod non centies sit conuulsum; quod non à pueris refelli possit? Nihil reprehendimus quod *Vives* vir doctissimus

in

in explicandis *cauſis corruptarum artium* non admodùm vitioſum eſſe comprobârit. Cur tot annos à tot aduerſarijs liber tantulus non refutatur? Cur nos qui dicimus, quæ neque poſſunt refutari, neque debent, contumelijs conſcindimur? Ita nimirum eſt hominum conditio! *Mercurius* apud Comicum impunè mentitur: *Soſia* quia verum dicit, exagitatur. Conceditur alijs pro luce tenebras, pro ſcientijs errores, vitia pro virtutibus,

Proque viro nebulam, & ventos obtendere inanes;
Nos aliquid Rutulos contra inuiſſe, nefandum eſt.

Malitioſa ſcilicet nobis cum illis non rerum, de quibus agitur, ſed hominum ſtudio ſuſcepta eſt contentio, Nos videlicet *Ramo* fauemus; illi *Ariſtoteli*. Immò verò illi errori fauent, nos veritati. Illi adoleſcentibus Circæa pocula propinari ſtudent, nos profligari cupimus. An hoc negare poſſunt, qui modis omnibus machinantur, vt *Ariſtoteles* propugnetur etiam cum errat; veritas ab *Ariſtotele* diſſentiens ſupprimatur? Et tum cum ipſi debeant repre-

reprehendi qui ſtudio potiùs ducuntur hominis quàm ſapientiæ, nos in odium vt trahant, priſco inſtituto, nouo vocabulo, *Ramiſtas* nuncupant. Eodem planè modo (liceat enim ſacra cum profanis comparare) quo puriorem religionem profitentes initio *Caluiniſtas* vocabant. Eſt enim vt religioni, ſic Philoſophiæ ſuus quidam *Papiſmus*, vterque à *Sorboniſtis* partim ortus, partim auctus. Nam cogitate mihi, quæſo, quàm ſimiles vtriuſq; ſint progreſſus. In Sacris, *maiorum*; in profanis, *multorum*; in neutris, *optimorum* conſuetudinem prætendunt. In Sacris, *Eccleſiæ*; in profanis, *Academiæ*; in neutris, *veritatis* authoritatem afferunt. Iſtas ratiunculas conſuetudinis & autoritatis, ſi qui non probent; vt illi, in Sacris, CALVINI, ſic noſtri in profanis, RAMI nomine ſuſpectos faciunt; quaſi nouis ſectarum autoribus ſint deuoti, cum reipſâ veritati, non hominibus, ſint addicti. Nam eorum quidem etſi vtrumque pium & eruditum fuiſſe arbitror; omninò tamen omnium hominum autoritates AVGVSTINI regulâ metiendas judico.

Qui cum firmis rationibus, quod inſtituerat, probâſſet, adijciens *Ambroſij* teſtimonium, *Hæc*, inquit, *ſi probas, tene mecum* AMBROSII *viri ſancti ſententiam, iam non eius autoritate, ſed ipſâ veritate firmatam. Nec enim vel mihi quidem propterea placet, quia illius potiſſimùm Miniſterio me Dominus ab errore liberauit, tanquam plantatori ac rigatori meo nimiùm faueam; ſed quoniam & ipſe hac de re dixit, quod piè cogitanti ac rectè intelligenti loquitur etiam ille, qui incrementum dat, Deus.* Quod *Auguſtinus* de *Ambroſio*, id mihi de omnibus dictum volo. Nec enim cum aut huius aut illius ſententiam ſequor, idcircò ſequor, quòd *ipſe dicat*, tanquam *Pythagoras*; ſed quia quantum ego judicare poſſum, idipſum dicat, quod dicit ratio, quod veritas dicit. Tantum aut abeſt, vt alicuius ad contumeliam conficti nominis calumniâ mouear, vt ingenuè profitear malle me cum infimis vera ſentire, quàm cum præſtantiſſimis Heroïbus errare. A DEO eſt, quod verum eſt: Quod falſum eſt, à Malo eſt. Alterum in omnibus etiam Ethnicis ample-

amplector: alterum in ipsis etiam Christianis auersor. Non debemus in Philosophiâ *Papismum* imitari, vt autoritatem & consuetudinem præferamus veritati. Studeamus *Christianam Philosophiam* profiteri, vt veritatem rebus omnibus antiquiorem habeamus. Ita, quod dicit MOSES *de Israele, Quantò magis opprimebatur, tantò magis propagabatur*; id vsu veritati venturum non diffidam, vt eò crescat vberiùs, quantò premitur insolentiùs. Sint Reges PHARAONES, qui affligant; est maior PHARAONE, qui confirmet. Iubebantur obstetrices seruare fœminas, mactare mares; sed obstetrices non fecerunt quia Deum verebantur; eóque Deus illis benefecit. Obstetricibus eos qui docent, quasi qui fœtus animorum formen, comparat *Plato*. Si contrucident prolem masculam, id est, virilem veritatem, nec faciunt quod debent, & expectent quod nolint. Non quasi nobis metuam; (habemus enim, spero, domesticum *Mosen*, qui vt summo studio superstitionis fæces purgauit, sic

omnia libenter ad pietatis ſtudium promouendum faciet;) ſed quod velim ſingulos idem moliri, vt tanquam *Apelles*, etſi leuis macula notetur in picturâ, etiam nihilominùs vel ſutoris monitu corrigere ne grauentur. Quòd ſi profanus Scriptor *M. Tullius*, vt ipſe fatetur, *nec illis delectabatur nec vtebatur omninò literis, quæ animum à Religione deterrerent vel auocarent*; homines Chriſtiani in conuentibus publicis propugnanda putabimus, quæ cuiuſquam animum à verâ pietate retardare valeant? Velim viri boni ſic hoc accipiant, vt à me dicitur. Dicam quidam certè quod ſentio. Contra veritatem errores defendere, propter vllius vel hominis authoritatem, vel loci conſuetudinem, indignum eſt hominibus, abſurdum Philoſophis, Chriſtianis nefarium. Præclarè *Socrates* in *Phœdro Platonis* affirmat, hominem eſſe perſimilem alato currui & aurigæ; vt curru notetur corpus, aurigâ ratio, geminis alis gemina cupiditas, altera veri viuendi in intellectu, altera boni agendi in appetitu: vtraque à Deo nobis infixa, vt ad Cœlum euole-

mus,

mus. Quantò verò magis iſtas alas neglexerimus, vt aut mentes inquinentur à falſo, aut mores à malo polluantur, tantò citiùs euenire, vt alæ defluant, iteque tanquam *Icari*, turbulentis humanæ vitæ fluctibus mergamur. Quod quia nobis vniuerſis accidit, nihil magis enitendum, quàm vt alæ renaſcantur. Id autem futurum, ſi virtute & veritate, quod eſt ipſius pabulum, anima nutriatur: vt quicunque cupiunt alas renaſci, quibus ad Cœlum euolent; veritatis & virtutis perſequendæ ſtudium remittere nunquam debeant. Intertexit ibi *Socrates* quædam improbanda, ſed ad extremum, quod notatu eſt digniſſimum, eum nimirùm qui ſummo ſtudio laborat vt has acquirat alas, à multis reprehendi tanquam inſanum, ſed iſtam inſaniam ad comparandam beatitudinem eſſe diuinitùs nobis immiſſam. Quo nihil inſignius dici potuit. Pergatis igitur vt facitis, *Adoleſcentes charíſſimi*, ad hauriendam hanc inſaniam, inſaniam opinione furentium, ſapientiam judicio ſanorum: ſtudeatis ardenti animo furere furorem iſtum; furorem ſed feliciſſi-

mum; amentiam, ſed prudentiſſimam; ſtultitiam, ſed omni Philoſophorum ſcientiâ ſapientiorem. Non vt ALCIBIADES *omnium horarum homo, Syracuſis* induſtrius, *Athenis* diſſolutus, *Lacedæmone* ſeuerus, inter *Thraces* ebrioſus, inter *Perſas* effœminatus fuiſſe perhibetur; ita vos omnium colorum chamæleontes animo ſynceri, verbis impuri, in Templis Religioſi, in Scholis profani, in ædibus *Epicurei* videri velle debetis. Sed vt *Socrates* eodem ſemper vultu, & exibat domo, & reuertebatur; vt *Atticus Pomponius* eodem ſemper victu vtebatur in rebus amplis, & anguſtis; quòd ipſius mentis, quæ format actiones in vtroque conſtantiſſimè nulla fieret mutatio; ita vos *Fratres*, eodem ſemper ſenſu, quæ ſunt recta cogitate; eâdem ſemper voce, quæ cogitatis, dicite; eâdem ſemper vitâ, quæ dicitis, exprimite, vt omnia veſtra facta, dicta, cogitata *chriſtianam* pietatem ſpirare videantur.

ORA-

ORATIO POST FESTVM NAT. CHRISTI, 1575. QVIBVS DE REBVS DISPVTANDVM.

CICERO cum ab *Attico* ſuo rogaretur, vt hiſtoriam Romanam ſcriberet, negauit ſe facturum, quòd ea nec inſtitui niſi præparato otio, nec exiguo tempore abſolui poſſet: & ego, inquit, animi pendere ſoleo, cum ſemel quid orſus traducor aliò, neque tam facilè interrupta contexo, quàm abſoluo inſtituta. Verùm quod *Ciceroni* non permiſit judicium vt faceret voluntariò, id ipſum mihi non remittit officium quin perſequar neceſſariò: vt cùm ſuſceperim verba facienda de ratione diſputandi, quod ſemel inſtitutum non poteram abſoluere, id ſaltem interruptum aggre-

diar pertexere. Quamobrem vt Lupus reliquias prædæ ſuæ fertur in terram fodere; donec iterum eſuriat, fame verò preſſus ad reliquias reuerti quas in terram defoderat; ita mihi viſum eſt ſuſceptæ cauſæ reliquias quaſi ad tempus ſeponere, donec iterum præfarer, vt ad eas deguſtandas poſt diuturnam famem auidiùs reuerterer. Ac tradiderunt quidem literis qui deſcripſerunt terrarum ſitus, permultos fluuios ſubire terras, rurſuſque reddi; *Lycum* in *Ioniâ*, *Eraſinum* in *Argoliâ*, *Alpheum* in *Elide*, in *Italiâ Timauum*, in *Meſopotamiâ Tygrim*; cum igitur Oratio dicatur à Rhetoribus fluere tanquam amnis, aliquando puriùs, aliquando turbidiùs, aliquando tenuiùs; copioſiùs aliquando, ſed tamen fluere tanquam amnis, quid tandem impedit, quin etſi latuerit Orationis curſus abſorptus tempore, quaſi terrâ, tamen iterùm reddatur? & quemadmodum quod *Athenis* in *Æſculapij* fonte mergitur, emergit in *Phalerico*; ita quæ temporis anguſtijs effectum eſt, vt differrentur priùs, in præſentiâ referantur. Meminiſtis, ſpero, totam

rei

rei propositæ tractationem, in tria membra fuisse distributam, quorum vno, quem in finem, altero, quibus de rebus, tertio, quem in modum disserendum esset, complecti volui. Ac primum illud membrum istorum trium, disputandi finem esse veritatem, si tam expeditum esset persuasu, quàm est obseruatu singulis necessarium; minùs è studijs nostris Academia, minùs ex ineptijs nostra studia laborarent. Verùm, nimis verum est illud *Platonis*, veritas quidem est optima, sed non est facilis persuasu. Vocârit eam *Pindarus* filiam *Iouis*, vocârit *Socrates* incolam cœli; tribuerit ejus studium *Cicero* prudentiæ; *Seneca* disputando nihil aliud vestigârit; affirmârit *Aristoteles* mentem hominis ab eâ perfici, nihil turpiùs errore, veritate nihil clarius; cuncti Philosophi, quicquid facultatis, quicquid temporis habebant, ad eam ex inscitiæ latebris eruendam, ingenio, memoriâ, diligentiâ contulerint: emergent nihilominùs plebeij Philosophi, (si tamen Philosophi, qui student sectis non sapientiæ, sunt appellandi) qui longè pluris æsti-

mant plumbeam consuetudinem, quàm auream veritatem, vt in nobis illa prisca *Lactantij* querela renouari possit, viros summo ingenio veritatem propemodùm tenuisse, nisi consuetudo fucata prauis opinionibus eos retorsùm rapuisset. *Quàm metui ne quid Libyæ tibi Regna nocerent.* An potest quicquam esse Libyæ similius quàm praua consuetudo; quæ multò pestilentius, quàm Africana Libya semper aliquid parit Monstri? quòd nisi *Iouis* jussu, *Mercurij* monitu, id est, ex præscripto cùm diuinæ vocis, tùm rectæ rationis eam reliquerimus, non sine causâ dicat sapiens *Anchises* etiam *Æneæ*, *Quàm metui ne quid Libyæ tibi Regna necerent.* Nisi fortè judicabimus *Didonis* blanditias *Æneæ* noxias, quem auocant ab Italiâ, Carthagine demorantur, errorum illecebras nobis innoxias, quos à virtute retrahunt, impellunt ad nequitiam. Sunt enim Philosophi meo quidem judicio, sine studio veritatis, sanè quàm simillimi Syrorum venalium apud *Ciceronem*, quantò doctiores, tantò nequiores: *Nihil sentire vita iucundissima*; sic

ſic *Aiax Sophocleus*, ſed inſanus. Profectò melius eſt nihil ſentire quàm prauè ſentire; ſic *M. Tullius*, & prudenter. Nimirùm obſeruauerat apud *Platonem* ſuum, quem Deum Philoſophorum nuncupare ſolebat, nihil magis in homine ſapientiæ ſtudioſo vel requiri vel prædicari, quàm ſtudium veritatis; nihil vehementiùs aut improbari aut perſtringi, quàm errores opinionum. Nam *Socrates*, *Lib. 5. & 6. de Repub.* (quos ipſi legite, quæſo, cum erit otium, vt quis ſit re ipſa Philoſophus intelligatis, ne vulgi peruerſo fluctuetis judicio, quod nugatores peritos pro Philoſophis admiratur) ſed *Platonis Socrates* cùm informat Philoſophum, negat eſſe Philoſophum, qui non ſit amantiſſimus & virtutis & veritatis; dici Philoſophum amantem ſapientiæ; amantem ſapientiæ flagrare ſtudio veritatis; veritate præeunte malorum comitatum penitùs excludi, mendacium profligari, declinari flagitium. Quicunq; demùm opiniones hominum non veritatem perſequantur, non eſſe φιλοσόφους ſed φιλοδόξους. Quaſi diuinaret futuros aliquando, qui

præ-

præstantium virorum sententijs addicti, majorem opinionis, *Aristotelis* verbi gratiâ, quàm ipsius veritatis, id est, sapientiæ rationem habendam essent afferturi. Hic mihi fortasse quispiam laudabit Philosophiam; quasi verò non ego & possim id facere & perlibenter faciam. Ita Q. *Caleuus* laudabat pacem, cum *Cicero* bellum suaderet in *Antonium*. Quid tu, *Calene*, inquit *Cicero*, seruitutem pacem vocas? Mihi quoque perinde liceat scisitari; errores, Philosophiam appellas? At adijcit *Calenus* eum se esse, qui semper omnes ciues saluos esse voluerit. *Honesta oratio*, inquit *Cicero*, *sed ita si bonos & vtiles Reipub. ciues: Sin eos qui naturâ ciues, voluntate hostes sunt, saluos esse velis, quid tandem interfit inter te & illos?* Date vniam vt similiter *Calenis* nostris respondeam, qui cunctas *Aristotelis* summi Philosophi sententias defendi volunt. Præclara Oratio, sed ita si rectas & veritati consonantes sententias; sin eas quæ verbo præferant veritatem, reipsâ præferant errorem, vt errores sic etiam errantium judicium auersamur. Nam cum omnis

disputa-

disputatio sit aut militaris, vt ita dicam, aut vmbratilis; militaris, quæ seriò de quæstione, quæ vocatur in controuersiam digladiatur; vmbratilis, quæ solet in Scholis adbiberi, quo magis excolatur & ratio & oratio. Quæ seriò disceptat, collisu rationum vult, aut velle debet, elicere veritatem causæ controuersæ: quæ contendit in ludo, partim instituitur vt ad veram pugnam armet, quò semper in acie pro veritate stemus, partim vt auditoribus magis inhæreant artium præcepta; præcepta credo vera non falsa, non inepta sed vtilia. Itaq; ex his duobus disputandi generibus, neutrum errorem, vtrumque scientiam; neutrum victoriam, vtrumque veritatem aucupari debet: vt eam vel ignotam eruant è caligine, vel animis audientium cognitam infigant. Quòd si veritas est docenda, & disputamus, vt doceamur, quis negat disputandum, vt veritas illustretur? Atqui & veritatem esse docendam monent sapientes, & nisi disputemus vt discamus insanimus: ergò veritatem disputationinibus & inquirendam & defendendam non videre, est ignorantiæ; non fateri

fateri, eſt impudentiæ. Cum porro ſit clariſſimum, effectum eſſe labe mortalitatis humanæ, vt rationis lumen tenebris, robur morbo, vires vulnere, ſanitas ægritudine grauiter ſeruetur: ſi quis dubitet, an vera doceri diſcique debeant, idem dubitet an duces ſunt adhibendi cæcis, ægrotis medicamina, morboſis remedia, famelicis alimenta, Pharmaca ſauciatis. Sed actum quorſum agam? cùm ea quæ ſuperiùs de fine diſſerui probârint vobis, ſpero, diſputationis eſſe finem, veritatem: quod euincunt neceſſariò & nominis notatio. & rei inſtitutio, & ratio Philoſophiæ, & euentuum obſeruatio, & optimorum conſuetudo, & teſtimonium virorum, ſi ſpectes ingenium, acutiſſimorum; ſi doctrinam, ſcientiſſimorum; ſi vetuſtatem, antiquiſſimorum, grauiſſimorum; ſi autoritatem, ſi cognitionem, prudentiſſimorum: vt quod *Areſteteles* de Reipublicæ gubernatione, id ego paulò ſecus de diſputatione dici poſſe putem; in diſputando ſequi, tueri, venerari qui jubet homuncionem, jubet feram, qui jubet veritatem, jubet Deum. Benè habet; jacta

jacta ſunt fundamenta diſputationis. Nam vtcunque de materiâ & formâ ſentiatur, de quibus rebus, quóque modo videatur diſputandum; conſtat ad veritatem tanquam, ad ſcopum omnia referenda. Quo conſtituto, faciliùs vitia, ſiqua inſidebunt, vel in rebus tractandis, vel in modo tractandi, poterunt aboleri. Sed aliàs de formâ, hodiè de materia conſequens eſt vt dicamus. Ac primùm, vt illis Orationem meam cancellis quaſi comprimam, quibus contineantur quæ veſtram inprimis vtilitatem ſpectant, quanquam vt omnia tractari facultate diſſerendi poſſunt, ita peti poteſt ex omnibus artibus materia diſputandi; tamen verſabor in illis tantummodò quæ vulgò diſputando ſolent agitari; vt eandem quæſtionum, quam facit *Ariſtoteles*, diuiſionem perſequar, cùm eas tripartitò, partim ad diſciplinam moralem, partim ad naturæ obſcuritatem, partim ad diſſerendi rationem pertinere ſtatuit. Quid ſentiam de cæteris, ex iſtis elucebit. *Leonem ex vnguibus. Ab vno diſce omnes.* Cum autem duplex; vti dixi, videatur eſ-

ſe

se disputatio, *altera* militaris, & planè *seria*, cujus vsus in commercijs vitæ conspicitur; *altera* vmbratilis & quasi *ludicra*, cujus in scholis habetur exercitatio; dicantur quædam necesse est, quæ pertineant ad vtrãque, sed ad istam scholasticam potissimùm me conuertam, quod etiam *Aristotelem* in *Topicis* feciſſe video. Quamobrem eius insistam vestigijs, cuius in hac parte judicium valdè probo, vt & in priore maximam quidem partem, summam illius sententiæ quam sequor, è verbis ARISTOTELIS expressis mutuabor. Is igitur post explicatam quæstionem Dialecticam, (nostis locum in *Topicis*) *Neque verò*, inquit, *omne propositum, aut omnem quæstionem nobis ad disputandum proponere debemus, sed de quâ dubitet aliquis eorum qui rationem desiderent, non pœnam mereantur, aut sensu careant.* Obseruate mihi quæso, diligenter hanc sententiam: est enim maximum in eâ momentum ad id probandum, quod instituo. Cùm dixisset *Aristoteles*, non omnem quæstionem esse nobis proponendam, adjungit exempli gratiâ; nam & qui quærunt

sinta o-

sintne dij colendi, & parentes amandi, merentur pœnam, & qui vocant in controuersiam, an nix sit alba, destituuntur sensu. Quo in loco explicando lapsus est leuiter, vir alioqui doctus. *Alexander Aphrodiseus* Non enim negat *Aristoteles*, quòd tamen illi videtur, istas quæstiones esse Dialecticas de quibus agitur, cum etiam permittantur paradoxa disputanda: sed docet *Aristoteles* quasdam sententias, etiamsi cadunt sub naturam quæstionum; non esse proponendas tamen ad disputandum. Quod è sequentibus verbis elucet, quibus adjungitur ne de eis quidem propositis disputandum quorum aut perfacilis, aut perdifficilis est explicatio; quòd illa nullam afferant dubitationem, hæc majorem quàm ferat exercendi consuetudo. Est igitur vtiliter ab *Aristotele* præceptum habendum esse magnum delectum quæstionum. Non sunt artes hominum ludibrijs exponendæ, quæstionibus aut friuolis, aut absurdis, aut impijs; quibus vtinam aliquando Scholæ non personarent. Tractari disputando si, quæ possint, quæris? Omnia, Si quæ debeant

beant? Vtilia. Grauiter *Chryſippus* de ſermonis vſu, *Sermonis*, inquit, *facultate non oportet vti ad ea quæ non conducunt, vt ne armis quidem. Ad veritatis inuentionem & eorum quæ veritati ſunt cognata, differendũ eſt: ad alia qui ſermonib⁹ vtuntur, abutuntur.* Hoc *Chryſippi* judiciũ, ſicut *Ariſtotelis* præceptum ſi prudenter accommodetur ad quæſtiones artium de quibus diſſeritur; quid in ſingulis diſciplinis vel à nobis fiat perperàm, vel ſtudioſis ſit faciendum, erit facile judicatu. Vultus à Dialecticâ primùm auſpicemur? Eſt illa quidem inſtrumentum aliarum artium, quarum diſquiſitioni quaſi præparat ingenium. Veruntamen ſi meminerimus quorſùm inſtituta ſit diſputatio, vt præceptiones, ſi quæ ſint dubiæ, cognoſcantur certiùs; quæ ſunt confirmatæ, fidelius infigantur; erunt quædam in naturâ & officio, & materiâ, & partibus Dialecticæ, quæ vt traduntur explicando, ſic diſputando diſceptentur. Quanquam cum duabus conſtet è partibus, *inuentione*, & *iudicio*; locorum *inuentio* magis deſiderat, vt crebrò repetantur, exemplis illu

illustrentur, examinetur eorum vsus in præstantium virorum scriptis, rebus propositis argumenta similiter ê locis inuestigentur, quàm vt agitentur conflictu quæstionum. In *iudicio* liberior erit exercitatio, partim in tractandis enunciatis partim in formis raciocinandi. Sed cùm vehementer illud sit cauendum, ne, cùm ars ipsa videtur litigiosior, rixis addantur rixæ, tanquam oleum incendio, præsertim in animis adolescentulorum, è quibus insita semel vitia difficiliùs eluuntur; videtur mihi *Viues* noster monuisse magno judicio fore consultius, vt in Dialecticis conferantur studia per interrogationes, quàm vehementiores argumentorũ pugnas. Etenim si *Pythagoras* silentium auditoribus quinquennio præcepit, ne leuibus quæstiunculis se jactare consuescerent, in nostris arbitrabimur nihil metuendum esse periculi, ne litigando rixis inanibus intumescant? Optari id satis potest magis quàm sperari; cùm præsertim doceat experientia, verum vsum Dialecticæ nullo modo magis fuisse profligatũ, quàm istâ peruersâ rixandi libidine, primùm à Sophistis apud veteres

veteris, postmodum â Scotistis apud nostros importatâ. Verùm insania veterum fuit leuior; quis enim moueatur nisi vanissimus, illis nugis *Euthydemi* & *Dionysidori* apud *Platonem*, qui disputantes nescientem scire, & tacentem loqui, & canem *Ctesippi* esse partem *Ctesippi*, insulsis hujusmodi cauillatiunculis non alios illaqueant, sed sibi ipsis illudunt. Nobis ista mouent risum, *Platoni* stomachum, *Græcis* senibus fastidium, adolescentibus applausum: in quibus hæc væsania tantoperè grassata est, vt opus haberet *Platone* qui perstingerit, *Aristotele* qui refutaret, *Diogene* qui derideret. Cui cùm *Sophista* quidem dixisset, *quod non amisisti habes, coruua non amisisti, habes igitur cornua*; *Diogenes* fronti manum admouens, *At ego*, inquit, *profectò non sentio*. Contempsit *Cynicus*: at verò *Seneca* postquam attulisset similem captiunculam, *Mus est syllaba, Mus autem rodit caseum, ergo, syllaba rodit caseum. O pueriles*, inquit, *ineptias! hoc si soluere non possim, sine dubio verendum est, ne in muscipulâ syllabas capiam*. Indignum videbatur homini prudenti, genetosas

generosas indoles talibus argutijs debilitare & infringi. Quos eum clamores putamus editurum, si cum nostris *Sophistis* viuere contigisset, qui non contenti priscis illis deliramentis, pueros post elementa statim Grammatica demergunt in alueum *Prædicamentorum & sex principiorũ* transfusum, è *Metaphysicis*; sicut olim *Germani* pueros modò natos in gelidissimum flumen immergebant; vel vt *Metabus* potiùs apud *Virgilium*,

Infantem in dumis interq; horentia lustra
Armentalis equæ mammis & lacte ferino
Nutribat.

Tantûmne? imò tolerabiliùs nobiscum actum esset si tantùm *Prædicamẽta* teneris objecissent. Quamquam cùm sint ex intimis arcanis primæ Philosophiæ, vt *Aristoteles* demonstrat, majus postulant judicium, majorem scientiam, magis variam lectionem, quàm vt à teneris possint percipi. Sed quia videbantur opinor intellectu nimis facillia, limatis *quæstionibus* & *subtilitatibus* tenuissimis, perinde discerpserunt, tanquam ea,

à

à *Lynceis* quidem oculis videri voluisse videantur. Erant enim subtilitates quas *subtiliauerant*, vt ipsi loquebantur, non minùs subtiles quàm opera *Myrmecidis*, cujus quadrigam & aurigam Musca texit alis; aut Formicæ *Callicratis*, quarum pedes & membra peruideri non poterant; aut *Apellis* tabula quæ continebat lineas visum effugientes; aut Catenæ *Vulcani*, quæ sub intuentium aciem non cadebant. Nihil dico *Vulcanus* finxit laqueos, qui videri non poterant; isti *Vulcani* finxerunt; quæ nusquam erant. Quid artis istæ nugæ; quam vtilitatem ferunt? *Benè facis, mi Lucili, quod omnia redigis ad profectum*, inquit *Seneca, ac tum offenderis, vbi summâ subtilitate nihil agitur.*

ORA-

ORATIO POST FESTVM PASCHATIS, 1576.

COnsiderandi mihi sæpenumerò quàm varijs ærumnis calamitosus humanæ vitæ status agitetur, subijt in mentem peracerba cogitatio, mortales cæcos tam pauca ratione, tam omnia libidine suà metiri, vt ipsorum præposteris & factis & iudicijs, officia peruertantur, improbi colantur, affligantur boni, virtutes jaceant, luxuria dominetur, doctrina cõtẽnatur, insoleſcat nequitia, ſtudijs præſtãtiſſimis merces iniquiſſima rependatur. Nam vt ab Heroicis vſque temporibus annalium memoriam animo replicemus, nullam gentem inueniemus, non dico barbaram, ne manſuetam quidem, non ineruditam, ne literatam quidem, in quâ non vt plurimùm virtutem comitata ſit inuidia,

dia, industriam insequuta sit calumnia qui Rempub. ornârint, auxerint, defenderint, iacirint sordidati, qui diuina & humana omnia peruerterint, in purpura volutârint; bonis periculum, malis securitas, laboriosis liuor, fauor desidiosis profanâ sed peruulgatâ consuetudine crearentur. Indignum visum est, & quidem meritò; sed ferendum tamen, & optandum nobis, quod in *Aiace* suo Poeta lamentatur, *Fontisque viri tulit, arma deferitus.* Quantò magis indignum est, seu verius intolerandum, quod tamen vulgare est, & sæpiùs experimur, *Bonique viri tulit arma scelestus.* Nonattingo quæ dici possint de Iudæis & Christianis: quorum alteros in istam contagionem scelerum pestilenter esse lapsos Sacris literis est consignatum; in alteris pietati quæ præmia proponantur, imò quæ miseriæ non proponantur, vtinam indies non sentiremus. De Romanis potiùs & Atheniensibus loquor, quibus quæ tandem vnquam fuit natio vel humanitate cultior, vel authoritate grauior, vel disciplinis politior? Arqui vt Romæ tamen sic *Athenis*, cum tantis

ornamentis maximè florerent; *Catonem* vexatum, quod Rempub. à flagitijs; *Scipionem* occisum, quòd populum ab injurijs; *Ciceronem* ejectum, quòd vrbem à conjuratis vindicaret, scitis; Amor æquitatis exilium *Aristidi*, studium sapientiæ venenum *Socrati*; *Demosthenis* perniciem integritas, constantia, cura patriæ comparauit. Denique si cunctas variarum gentium Respub. percurramus, idem esse juris *Accio* quod *Titio*, vt aiunt, cognoscemus, id est, eodem modo in plerisque, vereor in omnibus, *Clodios Hyperbolos*, nocentissimos florentissimos, *Rutilos Phocionesque* intigerrimos afflictissimos esse diluceſcet. In quo cùm multa mihi cõquærenda grauiter videntur, tùm nihil magis est dolendum, quàm quod ista corruptorum morum deprauatio, funestissimam doctrinæ, studijs, & innocentiæ machinatur ruinam. Etenim cum honos & alat artes, & virtutes foueat, nec ferè quisquam sequatur studia quæ comtemnuntur, floreantque ea semper quæ apud quosq; probantur; an mirandum est multos esse qui potiùs aut nihil agant, aut malè a-

gant, cùm induſtriæ contemptum, probitati periculum videant denuntiari? *Ipſa quidem virtus pretium ſibi*; præclarè canitur. *Virtutis ita ſumus naturâ ſtudioſi, vt ad eam potiendam cuncta perpeti parati ſimus*; glorioſa Oratio. *Virtutem & per ſe, & propter ſe expectandam eſſe conſtat*, dicunt Philoſophi. Sed non omnes, qui chytharã habent ſunt cytharœdi, didicũt permulti, ſciunt permulti, faciũt vix vlli. *Quis enim virtutẽ amplectitur ipſam, præmia ſi tollas?* Quis autem illam ſuo merito ſine præmijs non amplectendam fatetur? verbis aſſentimus, factis refutamus: Ephorum imitamur, ſocordiâ torpeſcimus, calcaribus indigemus. Non erunt Marones, niſi fuerint Mecænates. Dicitur vulgò, quanquam falſò tamen plauſibiliter, *eſſe præſtantius otiari gratis, quàm laborare gratis*. Mentionem facit *Seneca Serenily* cujuſdam *Vaciæ* hominis re nullâ noti, niſi otio, qui quoniam offenſus opinor, moleſtiâ Reipub. gerendæ, ſe in villam abdiderat, ob id ipſum vulgò fœlix habebatur: eaq; propter homines cum turbarentur, exclamabant, O *Vacia! ſolus*

lus scis viuere. Solus viuere videbatur imperitis, qui solus sapientibus interisse videbatur. Nam scitè SENECA *sciebat*, inquit, *latere non viuere. Nunquam aliter eam villam viuo Vacia præteribam, quàm vt dicerem, Hic situs est Vacia.* Quo viri grauissimi judicio monemur, non viuere sed mori vel potiùs viuos sepeliri, qui in in otio cum voluptatibus, quàm in negotio cum laboribus esse malunt; qui non alijs sed sibi; non Reipub. sed abdomini se natos arbitrantur. Peccârunt leuiùs; sed peccârunt tamen principes Philosophorum, qui nimiâ contemplandi dulcedine deliniti gerendæ Reipub. curam abjecerunt. Nam etsi veritatis inuestigandæ, vt docet *Plato*, non ingurgitandæ voluptatis, vt fecit *Vacia*, studio commoti, litterarum sequuntur otium, injustè tamen facere videntur *Ciceroni*, qui vel laboris declinandi, vel doctrinæ consequendæ curâ impediti, societatem vitæ deserunt. Dissentit, fateor, *Aristoteles*, & contemplationi *primas*, *secundas* tribuit actioni Sed quod homo doctissimus in *Platone* reprehendit Magistro, id

ignoſcatur mihi in *Ariſtotele* ſi non probem diſcipulo. Quanquam iſtorum ferenda cupiditas laudanda, moderanda, qui ſuo ſtudio delectati non contempſerunt alterum; Epicuri verò libidinem an inſolentiam dicam, quis ferat? Qui tanquam ſaginatus ex Porcorũ haris, nõ è Philoſophorum ſcholis inſtitutus in medium prodijſſet, delicatus nepos *Veneris*, nihil tetrius labore, nihil ſuauius ceſſatione eſſe arbitratus; negauit omninò ſapienti capeſſendam eſſe Rempub. Quamobrem, quæſo? quia voluptas curis impeditur: quid tum tandem? ita ſummum bonum minueretur ſapienti. O ſtolidum ſapientem! ſiquidem vt pecus Circes malorum eſcam, non modò bonum,, ſed ſummum judicat. Quin audiuiſſet potiùs *Herculem Xenophontis*, qui cum moleſtias à virtute, delitias à voluptate videret exhiberi; laborem aſperum, ſed honeſtum; lautitijs ſuauibus, ſed venenatis anteferre non eſt Veritus. Quid enim præclarum non idem laborioſum? Audeamus igitur (ornatiſſimi Iuuenes) ærumnas deſpicere, vt conſulamus, Reipub. ſuſcipere

cipere labores, vt pareamus virtuti; detractare illecebras, vt pietati consecremur. Meminerimus nos esse natos non nobis ipsis, sed Deo, sed hominibus, sed patriæ. Spernamus somniculosam contemplationem non Epicureorum modò, sed etiam Philosophorum. Ne *Didymum* quidem Monachum eorum imitatorem, putemus imitandum, qui bellus contemdlator nonaginta vixit annos, nec ad extremum vsq; spiritum vllius hominis, vt scribit *Socrates*, societate vsus est. Id inuitus si feciſſet, putarem miserandum; sponte qui fecerit inhumanum, *Timonem*, hominem ex homine exuisse judico. Non erat istud æmulari Christum sed *Chrysippum*, qui rogatus aliquando cur ad juuandam Remp. Magistratum non gereret, Quoniam, inquit, si benè geſſero, offendam homines, si malè Deos. Argutè! Cur igitur *Chrysippe* viues? si benè, offendis homines, si malè Deos. Cur igitur *Chrysippe* loqueris? si recta offendis homines, si praua Deum. An ista nobis ratio probanda est? Non inuertam, vt *Aristoteles*, dictum Sacerdotis, habendas ad populum esse con-

ciones, quoniam, si justa dixeris, Deo placebis, si iniusta hominibus; sed actiones vitæ cunctis obeundas ex virtute, censeo, veruntamen vt placeant, sed vt placeant bonis. Nam qui placebit Deo, placebit bonis, & qui placebit bonis, contemnet malos. At opum auocant illecebræ. *Aude hospes contemnere opes & te quoque dignum, finge Deo.* At mala præcludunt aditum; *Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.* At ab hominibus inuidebimur; *Inuidcam placare paras virtute relictâ? Iouis* ille filius apud *Accium* cum præcepta suis liberis dat ad virtutem, non ait esse mollem, acquiri per ludum, illabi per otium; vigilandum est semper, non stertendum, multæ non delitiæ; sed insidiæ sunt bonis, periculosum negotium. Vtinam esset facilior virtutis disciplina! Immò verò, inquit, te id quod multi inuideant, multique expetant, stultitia sit postulare; si tu laborem summâ cum curâ efferas nullum: omnes sine dubio virtutis viam ingrederentur, si per voluptates, per mollitiam, per ludos eò peruenireturr; Qui periculis propositis, objectis doloribus, im-

imminentibus ærumnis, à rectâ conſcientiâ tranſuerſum vnguem non diſcedit, cum ſpectatu dignum arbitramur. Quamobrem vt videmus Anthemidem, quò magis deprimitur, eò latiùs diffundi, vt accepimus arborem Palmam quò grauiùs oneratur, eò fortiùs reniti; vt ager Narnienſis authore *M. Tullio* ficcitate fit humidior; vt ignis in Nymphæo, quemadmodum tradit *Plinius*, imbribus fit ardentior; vt Leo ſi vulneretur, inſtat ferociùs; *Antæus* poſtquam deijcitur, pugnat violentiùs; vnguentum cum agitatur olet fragrantiùs; aromata cum atteruntur, ſpirant odoratius: ita nobis (*Adoleſcentes Chariſſimi*) faciendum eſt, vt in virtutis curſu quò magis retardamur, eò magis incitemur. In tempeſtatibus luctemur contra fluctus; reſurgamus cum deijcimur; renitamur, cum repellimur; non terroribus non miſerijs ab officio dimoueamur; virtutem vireſcere vulnere doceamus. *Si fractus illabatur orbis, impauidos feriant ruinæ.* Quòd niſi tam conſtantem animi affectionem ad excipiendos omnes impetus indueri-

mus,caueri non poterit,quin ad minimam quamque auram quaſi quidam Protei,continuò commutemur. Nam ſi quàm maximè poſſumus ſincerè fungamur officio, tamen vt optima rodit liuor, maledicorũ linguas nunquam comprimemus, quarum aculeis, tanquam *Hydræ* ſibilis ſi frangamur animo, næ nos inertes, non milites ſed fugitiui, non *Hercules* ſed *Thraſones*, è virtutis caſtris exauthorati dimittemur! Nec injuriâ, nam qui damnabimur perfidiæ, ſi ferro ſauciati non locum conſtanter in acie tenuerimus; ſi verbo perſtricti deſeramus ordinem, non indigni militiâ meritò judicabimur? Equidem etſi non eram neſcius cum ingrederer differere de ratione diſputandi, futurum vt incurrerem in varias reprehenſiones, (quod ſemper in omnibus expectabo quæ fecero) tamen nec eam mihi propterea tractionem non ſuſcipiendam initio putabam, nec ſemel ſuſceptam relinquendam arbitror. Immunes enim eſſe à reprehenſionibus planè non poſſmus, niſi nihil agamus, atq; adeò, ne ſi nihil agamus quidem. Nam ſi agamus nihil, jacemus

musignaui; si corrigamus vitia, dicimur morosi; si officij moneamus, curiosi putamur, si improbanda probemus, sumus scelerati. Iam quantò est satius haberi curiosum, quàm esse sceleratum, tantò est præstantius profiteri, quæ non probes, *quàm tacere quæ non debeas*. Quòd si calumnias effugere te posse speras, ineptè speras: non *Agamemnoni* defuit *Thersites*, non *Homero Zoilus*. *Momus* vt est in fabulis si nihil aliud *Veneris*, at fandalium certè carpet. Ne nos humunciones communi sorte sigillatim eximi, vel posse somniemus, vel frustrà cupiamus. Quamobrem vt instituta tandem pertexam, cum tripartita fuerit totius rei distributio, quem in finem, quibus de rebus, quem in modum disputandum esset, duabus superioribus partibus explicatis, sequitur deinceps vt ad extremam veniam. Quam explanare dum conor breuiter, quæso, diligenter vt soletis attendatis. Quod eò magis postulo, quia complecti multa paucis, vt absoluam hodiè, necessum habeo, vt omnia mihi potiùs attingenda strictè, quàm exponenda fusè, non ad rupes docen-

dos, ſed ad memores monendos eſſe videantur. Profectò nihil dicam quod non conſonum rationi, quod non ex *Ariſtotelis*, *Platonis*, *Ciceronis*, vel præceptis vel exemplis & obſeruârim & ſim comprobaturus. Neque verò quiſquam vitio mihi vertat, ſi quæ imperitis abſona videbuntur, rationibus & teſtimonijs doctiſſimorum confirmo. Prorſus, vt quæ facio, judicio bonorum, ita quæ ſentio, judicio doctorum probare ſtudeo. Itaq; vt vela faciam, ſi quæritis quo modo differendum eſſe putem, tribus verbis accipitote, peritè, modeſtè, ſyncerè. Peritè, cum artificio differendi, non garriendi; modeſtè, cum ornamentis lenitatis non arrogantiæ; ſyncerè, cum ſtudio non victoriæ ſed doctrinæ; non ſectæ, ſed ſcientiæ. Atque de peritiâ primùm acturus à quo potiùs ſumam exordium, quàm ab ARISTOTELE? cujus è Topicis, liber extremus in hoc ipſo conſumitur, de quo ſermonem habeo. Sed ille dicturus de ratione diſputandi tria proponit, interroganti facienda; *primum*, vt argumenta quibus probet, inueniat; *tum*, vt inuenta, ſecum ipſe diſpo-

nat:

nat: *postremo* vt disposita, apud alios eloquatur. Ego, vt ad vtrumq; & interrogantem & respondentem, mea, quoad potest, referatur Oratio, in cujusq; quæstionis disceptatione duo spectari velim, *inuentionem* & *tractationem*. Nec enim Epicureos imitari debemus, qui perinde disputabant ac si nullam putarent artem, nec dicendi nec differendi; sed Peripateticorum similes esse volumus, quos omnia quæ pertractabant cum eruditè tum ornatè persequutos accepimus. Cui muneri sustinendo necessarium in primis esse vt ars *inueniendi* diligenter è dialecticæ fontibus hauriatur, ne monerem quidem, nisi *Ciceronem* erudito juueni præcepisse viderem, è locis inuentionis, argumenta petenda, vt semper esse possit in disputando suus. Quocirca vt euitemus eorum jejunitatem, qui tantùm authorum loca quasi dictata citant, è quorum testimonijs rationes extruant non definiunt, non diuidunt, non exemplis, non similibus, non cuiusq; modi probationibus orationem distinguunt; propterea disciplinam inueniendi confusiùs ab *Aristotele* congestam, con-

concinniùs à *Cicerone* distributam vberiùs à recentioribus explicatam, comprehensam animo opus est teneamus. Cæterùm *Dialectica* tantùm instrumentum est, materia comportânda est ad quam adhibeatur. Est agricolæ securis, sed habeat oportet ligna quæ cædat. Est architecti regula sed materiam requirit, cui seruiat artandæ: ob eamque causam argumentorum sedes dicuntur loci, capaces quidem corporum, sed eos nisi variâ cognitione compleas, è Philosophis, Poëtis, Oratoribus, Historicis, inanes erunt. Quod qui non attendetunt & audiêrunt Dialectico de re quaque disputandum, putârunt non rationem modò tractandi, sed etiam materiam ab eo postulari. Ita Categorias, quib⁹ omnia summatim videbant comprehendi, discriptas ab *Aristotele*, sed decerptas è Metaphysicis, Dialecticæ fecerunt partem. Verùm ratio tractandi propria Dialecticæ est, materia quæ tractatur, artium aliarum est. Quod igitur affirmatur apud *Ciceronem*, omnes percipere disciplinas eis necesse esse, quibus propositum est eruendi veri causâ pro omnibus Philo-

Philoſophis, & contra omnes dicere; id nobis eatenùs eſt admittendum, vt propter commune diſciplinarum vinculum, quo inter ſe colligantur, fateamur artium ſcientiam plurimarum ſæpè neceſſariam ſemper eſſe commodam. Sed ne videamur optare, non docere, vt cætera remittamus hominum ignauiæ, neceſſe eſt eam habere cognitam diſciplinam ad quam pertinet id de quo agitur. Quid enim dicet quiſpiam de re quam ignorat? An diceret Dialecticus, *Princeps ſic ſoluatur legibus?* niſi prudentiâ juris ſit exceptus? *An commodius ſit ſingulis mandari ſingulos Magiſtratus?* niſi ciuilem facultatem teneat? Quid in *Geometriâ?* Quid in *Philoſophiâ?* De *lineis, figuris*, de *ſummo Bono*, de *rerum Naturis* quid ſit ſentiendum, num è *prædicamentis*, quæ vocant inſtruetur? In *Aſtronomiâ*, cur *Luna deficiat*; in *Coſmographiâ*, ſintnè *Antipodes*, quid poterit afferre, qui res ipſas non didicerit? vt ergo *peritè* de re propoſitâ differatur, ars ea quâ de quæritur, penitùs cognoſcenda eſt. In quo vt in reliquis præclarè *Cicero*, quam de re quos differentes intro-

introducit, ita ſciente facit cuncta perſequentes, vt ea poſiteatur, ne ab ipſis quidem authoribus diſciplinarum accuratiùs explicari. Quantâ diligentiâ *Torquatus Epicureorum*, *Cato Stoicorum*, *Academicorum Piſo* ſententiam de bonorum finibus exponit? Quàm porrò luculenter *Zenonem* & *Epicurum* refutat *Cicero*? Quàm eruditè *Balbus* propugnat *Dei prouidentiam*? *Cotta* cùm *Epicuri*, tùm *Gentilium* euertit *deos*? Nam diuinatio ſic aſtruitur à Q. Fratre, ſic euertitur ab ipſo, vt omnium hiſtoricorum, augurum, aruſpicum, Poëtarum, Philoſophorum monumenta ſummo ſtudio peruolutâſſe videatur. Non adijciam quàm ſubtiliter diſceptatur inter *veterem* & *nouam Academiam*; Quam literatè, variè, copioſè, mortem, dolorem, virtutem, vel à terrore vulgi, vel ab errore tueatur. Verbo concludam, quacunq; de re agatur, quod ſcriptor politiſſimus faciendum ſibi cenſuit, id nobis elaborandum eſt, vt artem teneamus, & dialecticam inueniendi, per quam eruamus, & eam, cuius quærſio eſt, ex quâ eruamus, quæ ad diſceptandum idonea videbuntur.

buntur. Hæc ergo sit *inuentio*. Sequebatur *tractatio*: sed cum *Ciceronis* disputationum mentionem fecerim; vtramque mihi simul nescio quo modo absoluisse videor. Quid enim? an illustrius exemplar desiderare possumus, vel inuentionis eruditæ, vel tractationis accuratæ? veruntamen quoniam apud illum qui differunt perpetuâ ferè solent oratione persequi, quæ nos concisis conclusionibus astringimus; inuestiganda est istius varietatis occasio. Principio manifestum est ad peritam tractationem opus esse, vt teneatur è Dialecticis ars *iudicandi*; è Rhetoricis *eloquendi*. Quarum alteram quia *Polus* sophista non callebat, recusat cum eo disputare *Socrates*, vt qui peritior esset *dicendi*, quàm artis *disputandi*: alteram qui nesciunt, vt *Epicureus Amafanius*, & minùs studiosè plerunque audiuntur, nec explicare satis possunt, quæ sentiunt, & inopiâ verborum efficacium rationum sæpè vires euerunt. Non loquor de curiosâ pompâ figurarum quam solam imperiti putant Rhetoricam, sed de aptâ & dilucidâ rerum explicatione, quam

Cicero

cicero putat docti & intelligentis viri. Cùm autem argumenta confirmanda scienter, appositè exponenda esse satis pateat, continuâ an interciſâ oratione, dubitetur; quòd veteres continuam, interciſam noſtri ferè ſolam approbent; ſequendum esse arbitror *Platonis* exemplum, *Ariſtotelis* præceptum, qui neutrum ſemper adhibendum, aliquando copioſiùs, aliquando ſtrictiùs diſputandum esse docent. Nam cum interrogando veritas & reſpondendo debeat euolui: nec perpetuâ dictione ſatis examinari, nec conciſis ratiunculis ſatis explanari poteſt quod quæritur; vt vtrumque genus pro judicio differentium ſuis quodque locis adhiberi conueniat. Ita *M. Tullius*, etſi continuam orationem magis probet, quâ veteres Philoſophos vſos esse tradit, tamen agens cum *Torquato*, affirmat commodiùs in rebus ſingulis cum inſiſtas, & intelligas quid quiſque concedat, quid abnuat, ex rebus conceſſis concludi quid velis, & ad exitum perueniri. Quanquam vt hic continuam in *Epicureis*, qui comminùs timebant congredi, ita nimis conciſam

conciſam perſtringit in Stoicis, quos ait pungere quaſi aculeis interrogatiunculis anguſtis, res graues non ita tractare vt debeant, ſed aliquanto minutiùs. Tenenda eſt igitur aurea mediocritas, vt neque nimis fuſi, neque nimis preſſi velimus eſſe: ſed Orationem quaſi veſtem aptemus rei, ne vel cothurnos Herculis induamus infanti, vel ornatum Omphales induamus Herculi. Omninò ſunt quædam quæ pauciſſimis dici poſſunt, quædam quæ multis intelligi vix poſſunt: in illis eſſe multum ſit loquacitatis, in iſtis breuem imperitiæ. *Socrates* apud *Platonem* cum *Gorgia* manum conſerens, petens vt breuiter ad quæſita reſpondeat, reprehendit nimiam in *Polo* loquacitatem. Quid ita? Quoniam aliena dixerat verboſè. Nam ipſe paulò poſteà longiorem ſermonem habens quàm *Polus* habuerat, ſe non vult reprehendi. Quid ita? Quoniam appoſita dicit dilucidè. *Fortaſſis*, inquit, *abſurdè facio, qui, cùm te paucis vti voluerim, ipſe copioſam orationem habeo. Sed ignoſcendum eſt. Nam ſi pauca dixiſſem, non intellexiſſes.* Quamobrem vt *Cicero* repre-

reprehendit Rhetores, qui narrationem breuem esse jubent, quòd ea nonnunquam sit pertexenda longiùs, etsi plerunque breuem esse deceat; ita mihi videntur incommodè sentire, qui semper agi volunt argumentatiunculis, etsi plerunque presse sit differendum, sed aliquando copia requiritur necessariò. Itaque *Viues* noster peruersam sui temporis *Dunsorum* in disputando consuetudinem exagitans, *quo magis*, inquit, *pugnam referant, dimicatione quadam vtuntur agili & veloci, & quasi punctim feriunt, quo citiùs hostẽ suum conficiant; nec perpetuâ oratione aggrediuntur aduersarium; nec longiorem eius sermonem possunt pati. Si quid paulò pluribus verbis dicat explicandi sui gratiâ, clamant illicò, Ad Rem, Ad Rem; Categoricè respondeto:* Ipsa vobis verba *Viuis* expressi, vt hominum rudium implicatam barbariâ morositatem cerneretis. Quæ cum antiquitati toti refragetur, vndè primùm extiterit, augurari non possum. Nisi fortè, vt *Pollio*, cùm ipse jejunior esset in dicendo, *Ciceronis* copiam non probabat: & vt *Epicurus*, cum ipse nesciret artem differendi,

differendi, insectabatur *Dialecticam*; & denique, vt nonnulli, quod *Isocrates* queritur, laudari nihil soient, nisi quod assequi se posse confidunt. Similiter *barbari*, quòd ipsi in dicendo essent infantissimi, non ferebant orationis vbertatem, quòd omnia lutulentis argutijs inquinabant, perspicuitatem in differendo fugiebant. Illud ex reliquijs antiquæ disciplinæ, mirum ni casu, commodè retinebant, quòd permittebant respondenti, priusquam disceptarent, oratione perpetuâ suas partes tueri. Sed *Aristoteles*, quem in omnibus sequi præ se ferebant, non respondenti solùm, sed etiam interroganti, nec ante modò, sed & inter disputandum, permittit, imò præcipit, vt copiosiorem, non solùm ad probandum, sed etiam ad ornandum, ad explanandum orationem habeat. Res est & vtilis, nec dubia, sed ignota multis. Ne sit molestum, quæso, si paucis aperiam. *Aristoteles* igitur *propositiones*, quas adhiberi vult in disputando, bifariàm dispartitur, quarum alteras *necessarias*, alteras vocat *non necessarias*. *Necessarias* appellat

pellat eas quibus concluditur ratiocinatio, *propoſitionem & aſſumptionem*, quibus ſolis in differendo plurimùm vti ſolent. *Non neceſſariarum*, quæ præter *neceſſarias* iſtas aſſumuntur, *genera* facit *quatuor*, vel vt *rei confirmandæ*, vel *orationis augendæ*, vel *celandæ complexionis*, vel *argumentationis illuſtrandæ* gratiâ ſumantur. *Celandæ complexionis* vſus nobis nullus, *Ariſtoteli* videtur magnus: & in vſu quidem vitæ poteſt eſſe non minimus, ſi quando cum præfracto aduerſario res agatur. *Rei confirmandæ* inductiones adſciſcimus, ſed enuntiatis, quæ comprobant, non attextas. Reliquarum duarum partium, quæ partim ſeruiunt *ornatui*, partim *perſpicuitati*, ſi dicerem vſum in diſputationibus noſtris adhibendum, fortaſſis irriderer, & *Rhetoricè diſputari*, non *Dialecticè* viderer velle. Sed *Ariſtotelis* eſt, non meum. Is enim cum ad ornandam diſputationem, inductiones, diuiſiones vult intertexi, quæ ſolùm amplificent, non concludant quod quæritur; tum ad afferendum lumen argumento ſimilitudines, exempla, non *Cherili*, ſed *Homeri*, vt illuſtretur

illustretur quod agitur, adjungi jubet. In quibus omnibus *Aristotelem* exprimere *Platonis* morem, exprimendumque suis tradere, docerem varijs exemplis, si non idem in Gorgiæ præfatione fecisset *Sturmius*, apud quem inuenient, si qui volent. Nam *Cicero* diligentissimus vtriusque imitator, quàm id faciat eleganter quis ignorat? cùm præsertim & delectari se commemoret, quòd Q. frater multis exemplis, ijsque illustribus & claris vsus esset, & historijs, carminibus, apophthegmatis, allusionibus venustissimè quasi gemmis, disputationem distingueret. Itaque cum eodem exclamare licet, ô morem præclarum, si quidem teneremus! sed nescio quomodo jam de manibus elapsus est. Quid? quòd vt copiosiùs nonnunquam veteres agebant, quàm nostri solent; ita nonnunquam etiam voluerunt agi pressiùs, quàm nostri volunt. Nam quæ nos eadem inculcandâ crambe per multos circuitus argumentationum sæpenumero vix extorquemus; apud illos vnicâ interrogatione & responsione solet expediri. In Scholis verò nostris nonita pridem,

credo

credo adhuc etiam, si quis aliquid interrogaret, statim audiebat, *Socratice mecum agis*; *disputa si velis*; *quæstionibus non respondeo*. Quàm caucnt ne sint *Socratici*, ne *Platonis* similes videantur! nihil est quod metuant; nunquam illius vmbram assequentur, nisi melioribus se disciplinis excolant. Cæterùm & *Aristoteles* præcepta dat interrogandi; quæ quorsum traderentur, si percontari non liceret? atq; adeò quem nuncupare consueuimus opponentem, ille vocat interrogantem, ac alterum respondentem. Sinant igitur interrogare, & respondeant; Etiámne *Aristotelem* mentiri facient? sed nudo *Aristotelis* nomine gloriantur; reuerâ sequuntur discipulos *Epicuri*, qui non imbuti Dialecticis, timentes, ne cogerentur errorem agnoscere, non libenter ad quæsita respondebant. Itaque *Torquatus* apud *Ciceronem*, qui se perpetuâ malle dicit oratione vti, quàm interrogare & interrogari, cum varijs rationibus vrgeretur à *Cicerone*, finem, inquit, facito interrogandi, si videtur, quod quidem ego ab initio me malle dixeram, hoc ipso prouidens Dialecticas

lecticas captiones. Nec tamen respuit *Torquatus* quia *Socraticum*, sed qui *Dialecticum*, & vt ait, *captiosum*. Sed nostri prudentiùs quidem multò, quàm *Torquatus*; nam ille vult fieri finem interrogandi; nostri initium fieri non sinunt, hoc est mederi principijs, ne cum *Torquato* capiantur. Cæterùm si velimus non ineptos Philosophastros, sed præstantissimos Magistros artium imitari, adhibendam aliquando & interrogandi rationem ad ad disputandum adstrictiùs, & amplitudinem orationis ad exornandum illustriùs, ne dicam ad fastidium similitudinis vitandum, & aptiorem differendi morem ad vsum vitæ judicemus necesse est. Quo verò loco vel copia vel breuitas videatur aptior, præfinire non est meum. Ex rei naturâ capiendum est consilium. Siquidem esse possumus in summâ longitudine nimis breues, si obscuri; in summâ breuitate nimis longi, si insulsi. Habetis quæ mihi peritiam differendi complecti videbantur: quæ versatis in *Cicerone*, *Platone*, *Xenophonte*, politiorum artium verè studiosis probabuntur

buntur certò ſcio. Iis verò qui vel nimiùm publicæ, licèt prauæ, conſuetudini ſunt addicti, vel oportunis artium deficiuntur præſidijs, quamuis ex *Ariſtotele* deprompta, non placebunt. Quos mihi liceat eiſdem verbis compellare, quibus olim *Cicero* affatus eſt *Calenum*: Excogitare quæ ſit tua ratio, *Calene*, non poſſum. Antea deterrere te, ne popularis eſſes, non poteramus, exorare nunc vt popularis ſis, non poſſumus. Quid enim? An poteſt quicquam *Caleni* moribus eſſe ſimilius? In malis opinionibus homines deterrere, ne ſequerentur *Ariſtotelem* non poteramus. In laudabilibus inſtitutis exorare, vt *Ariſtotelem* ſequantur, non poſſumus. Nam expendite mihi, quæſo, quàm vehementer ab *Ariſtotelis* veſtigijs recedant, qui tam morosè alios *Ariſtotelis* errata declinantis exagitant. *Ariſtoteles* enuntiata non neceſſaria probationi, varijs de cauſis, vt audîſtis, aſſumi jubet: Noſtri neceſſaria ſola non ſolùm aſſumunt ipſi, (quod leuius,) ſed plura nec ab alijs aſſumi patiuntur. *Ariſtoteles* ornatum & amplificationem orationis in exer-

exercitatione disputandi requirit. Nostri summâ jejunitate præscriptis quibusdam formulis, ita seipsos alligant, quasi juberentur à jurisconsultis *inire viam*, *redire viam*; aut more prætorum tria tantùm verba profari possent. *Aristoteles* ad rationes perspicuitatis splendore collustrandas, aliquanto liberiùs euagari præcipit: Nostri contortulas tantâ ficcitate torquent conclusiunculas, tanquam à Samnitibus cogerentur in angustias ad furcas Caudinas, vt ne pedem quidem quóquam commouere liceat. *Aristoteles* vult exempla apta & illustria, cujusmodi sunt exempla non *Chærili* sed *Homeri*. Nostri si quid afferas è *Virgilio*, è *M. Tullio*, qui apud nos eum obtinent locum quem *Homerus* apud *Aristotelem*, declamari statim non disputari putent. Illa placent exempla quæ *risibile* & *hinnibile*, & *rationale* semper ingerunt. *Aristotelis* exemplis, si qua desumit è Poetis, Oratoribus, Philosophis, non est credendum. In nostris satietas è tœdio similitudinis audientibus obrepit. In *Aristotele* varietas, interrogando, dilatando, astringendo, concludendo mirabili-

ter delectat, Deniq; noſtrorum Diſputationes ad dimicationem quandam Scholaſticam tantùm accommodantur. *Ariſtotelis* inſtitutum ad vſum vitæ communis auditores ſuos inſtruit, vt in ſermonibus ſerendis, confirmare, refellere, verum à falſo, conſequens à repugnante diſtinguere peritè ſciant. Quam vtilitatem quoniam in ſtudijs minùs reſpicimus quàm deceat, ob eam cauſam in ijs quæ meditamur, minùs proficimus quàm liceat: ex quo efficitur, vt quemadmodum *Plato* de gladiatoribus ſcriptum reliquit, peritiſſimos laniſtas in ludo, eſſe ineptiſſimos milites in bello; ita ſtudioſis nonnunquam vſu veniat, vt qui multum in argutijs vulgarium quæſtionum, & ſubtilitate diſtinctionum, & rationum acumine putantur alijs anteſtare, in congreſſibus, in colloquijs, in vſu vitæ, cæteris in artium ſtudio verſatis quanquam in ſcholâ minus exercitis non admodùm antecellunt. Quod ſecùs eueniret, ſi recta diſputandi floreret exercitatio; qualem inſtituendam non ex meis ſomnijs (nihil enim noui affero) ſed ex nobiliſſimorum ſcripto-

rum

rum judicijs, tribus orationibus jam, vt potui, probaui; eo fine propoſito vt veritas conflictu rationum eliciatur; eâ materiâ vt quæſtiones vtiles cognitu diſceptentur; eâ demum formâ, vt peritè pertractentur de quibus diſceptabitur; ſed ita vt peritiam comitetur modeſtia, modeſtiam ſynceritas, de quibus aliàs, fauente Deo, ſuo tempore dicetur. Ac illud quidem fortſitan eſtis admonendi, me ſuperiorem *Ariſtotelis* & noſtrorum comparationem non eò feciſſe, quaſi cupiam in vſum omnia reuocare quæ ſecùs atque nobis illi videntur: verbi gratiâ, vt interrogando ſemper efferamus, quæ nonnunquam enuntiando commodiùs concludimus. Sed hoc non concedo vt quod in ſeipſis probant *Tuberones*, id in *Ligarijs* reprehendant: immò vt ſibi tanquam *Mæuij* condonent vitia, in alijs verò virtutes improbent. Nam ſi nos ab *Ariſtotele* leuiter declinemus, vt veritatem tueamur, quas cõmouent tragœdias? ipſi licenter *Ariſtotelis* inſtituta cum libet violent. Prorſus vt Papiſtæ (nam profana profanis comparo) ipſi ſæpenumerò à priſcis doctori-

bus pro ſuâ libidine in rebus optimis diſſentiunt; nos ſi quando Deo quàm hominibus malimus credere, quos tumultus edunt? Sed ipſi viderint quid *Ariſtotele* faciunt, qui ſequendas illius leges in omnibus profitentur. Nobis eſt liberum quemadmodum in corporibus animantium, quibus veſcimur, reſectis & reiectis quæ ſunt inutilia, ſalutaribus ad cibum vti: itidem in monumentis ſcriptorum facere, quibus animus nutritur, vt amputemus, quæ minùs commoda; capiamus, quæ ſunt ſalubria; cum ipſi contra perinde faciant, ac ſi membra cum carnibus reijcerent, inteſtina cum ſordibus reſeruarent: quod à vobis ne committatur, chariſſimi mihi iuuenes, ſedulò prouidete, probate omnia, tenete optima, exercemini legendo; duce prudentiâ; exercete tractando, duce vigilantiâ. Libros euoluite, roſas decerpite, ſpinas declinate; ſtudijs, quibus indies vacatis, (debetis quidem) in hoc artium gymnaſio, ſcitote vos ad operam Eccleſiæ Chriſti nauandam præparari. Ratione declamandi; ad homines oratione continuâ compellandos;

dos; ratione disputandi ad sermones de varijs occasionibus conferendos instituí vos cogitate. In quo vehementer etiam atque etiam mihi sunt rogandi, quos in istis literarum exercitationibus, moderatores officium esse cogit, vt ad diligentiam cùm præcepto tùm exemplo suos incitent auditores. Meminerint se non solùm hominum suffragijs, sed religione sacramenti, sed jurisiurandi vinculo, nec infantibus, nec indoctis, nec barbaris, sed adolescentibus, & studiosis, & Christianis erudiendis præfici. Vos autem, adolescentes, non tam cohortandos quàm collaudandos censeo, quòd cum intelligatis ad vsum Reipub. peropportunam esse doctrinam dicendi, dicendi Magistrum optimum esse stylum, stylum re nullâ magis quàm exercendo limari, præfationes quibus quæstiones, quæ proponuntur disceptandæ, recepto more solent explicari, quo fiant diligentiùs, de scripto recitetis. Magnum est, inquit *Cicero*, silentibus omnibus vnum in hominum conuentu verba facere; vt mihi videantur qui non accedant eò saltem sedulò præ-

meditati, nisi fortè negotijs distringantur ne scribant, conuentum contemnere quem debebant reuereri. Ac licet quæstiones sint nonnullæ steriliores, quas fœcundiores aliquando delectum iri non est desperandum; tamen ab eodem *Cicerone* didicistis, nec vllum esse tam asperum saxetum, in quo agricolarũ cultus non elaboret; & nihil esse posse tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione & tanquã excolatur. Quòd si Romani crebro Senatores, sententias domi scriptas, meditatas, cogitatas, in Curiam afferebant; Si *Cæsar Augustus* nunquam vel in Senatu, vel apud milites, vel ad populum nisi compositâ oratione loquutus est; Si *Pericles*, si *Demosthenes Athenis* dicere recusârunt, etsi populo jubente, quod non essent commentati; Si *M.* ipse *Tullius* princeps eloquentiæ, putauit sibi quasdam orationes in Senatu dicendas de scripto, nos infinitis partibus inferiores facultate dicendi, in linguâ non patriâ sed peregrinâ, apud eos qui tanti nobis esse debent, quanti vel Senatus illis vel populus, ita despicatui ducemus auditores,

tores, vt quicquid in buccam, negligenter effundamus. An putamus disciplinas nobis oscitantibus in ora delapsuras? venturas in sinum dormientibus? vitanda est improba Siren desidia. Quod agis age. Margaritas eruunt ex imo fundo maris; Aurum è terræ visceribus fodiendum est. Dixi principio non futuros *Marones* nisi fuerint Mecœnates; vicissim dico vobis, habetis Mecœnates, vtinam sitis Marones. Quis melior Mecœnas præpotenti Deo? Quæ munera maiora rebus necessarijs? Ingenio satis acri, memoriâ satis firmâ, valetudine satis bonâ, loco non incommodo, non contemnendis facultatibus, si suâ quisque sorte potestis acquiescere, estis à Deo præditi. Quæ tot ac tanta commoda sinetis per socordiam vel barbariam corrumpi, vel impietate pollui? *Impius hæc tam culta noualia miles habebit? barbarus has segetes?* Habetis adolescentiam florentissimum ver ætatis, in quâ sic estis constituti, vt neq; corpus ad tolerandos labores firmius, nec ingenium ad imbibendas artes vnquam docilius esse possit. Habetis qui doceant, qui gu-

bernent, qui nutriant, sine curâ, sine sumptu, sine molestiâ, piorum hominum munificentiâ vobis attributos. Quid ad ista subsidia deesse potest nisi animus, qui illis vti sciat, bonus? nam voluntates in quibusdam, quod cum dolore dico, fortasse minùs promptæ; sed plantæ sunt flexibiles, & optima speramus. Veruntamen in tantis studiorum adjumentis, *Impius hæc tam culta novalia miles habebit? barbarus has segetes?* Deus Opt. Max. qui commodis nos instruxit tam multis numero, tam amplis pondere, vt habeamus facultatem quâ possimus, ita spiritus sui gratiâ cùm oculos illustret, tum inflectat animos, vt habeamus voluntatem quâ cupiamus & excoli bonis artibus & virtutibus expoliri, vt & ipsi flagranti animo pietati consecremur, & alios syncero studio pietati consecremus.

ORA-

ORATIO POST FESTVM MICHAELIS. 1575.

NOn modò frequentiâ vestri concursus (*Auditores ornatissimi*) præsertim in tanto plùrimorum metu, verùm etiam instituto nostræ consuetudinis quâ vobis gratificandum est, in eam partem moueor, vt quemadmodum *Pericles* aditum ad celeberrimam arcem *Athenarum* parùm splendidum putauit sine *Propylæo*, eodem modo mihi ad nobilissimos *Atticos* scriptores accessus sine proœmio parùm commodus judicetur. Sunt enim imitandi nobis, qui stipendia sub *Mineruâ* facimus, prudentes Imperatores, si quid ego judico; cohortandi milites cùm ad certamen itur, cùm ad periculum, præmonendi, cùm ad laborem, excitandi. Sed nonnè vobis videor in ipso quasi portu statim Orationem

ad ſcopulos allidere, qui veſtros animos ardentiſſimis cupiditatum facibus ad diſciplinas inflammare cupiens, ſtudia doctrinarum cum arte militari, literatos cũ armatis, Scholas cum caſtris, *Muſas* cum *Marte* comparo? Nam quibus belli nomen horridum, res autem ipſa neque ſuauis & peſtifera cenſetur, verendum eſt forſitan ne ſola ſuſpicio tractandarum artium tanquam armorum flagrantes animorum impetus, extinguat. Verum enimuerò quamuis non diffitear, qnod eſt apud *Ciceronem*, artes conticeſcere cum prælia promulgantur, pace foueri, bellò profligari; tamen ne fruſtrà vobis blandiamini. literas à ludibundis per jocum poſſe percipi, nihil eſt omnino quicquam cui noſtra comparari poſſint aptiùs, quàm militiæ. Neque verò ſine cauſâ vel ab *Athenienſibus* eidem *Palladi*, munus & armorum & artium attributum eſt; vel apud *Lacedæmonios* delubro *Martis Muſarum* ædes, vicinitati loci vt officij ſociata eſt. Vetus eſt, agnoſco, quod celebratur Prouerbio, *Quid Marti cum Muſis?* At verius eſt ſcio quod experientiâ probatur,

batur, *Quid Musis sine Marte?* Etenim, vt diligenter vtriusq; muneris rationem expendamus, cùm in armis rei bellicæ, tùm in otio sapientiæ studio vacantium; quid tandem quæso requiri potest ad disciplinam militiæ colendam, quod non idem ad militiam studiorum tolerandam necessariò flagitetur? Illi laborem capiunt vt itinera conficiant, nos vt librorum volumina percurramus. Illi fatigantur contentione corporum, nos ingeniorum. Illi salutem suam excubijs tuentur, nos doctrinam vigilijs. Illi vt in acie, nos vt in actionibus seruemus ordinem, exercemur. Nos cum ignorantiâ semper digladiamur, illi cum hoste rarò. Nos horologijs, illi buccinis ad munia conuocantur. Illi per inducias, nos vacationes, laborum vinculis relaxamur. Denique, si *Vegetium* præcipientem sequimur, illi quotidiano sunt exercitio roborandi, nobis *Nulla dies sine lineâ* transmittenda est. Inter suos modestiam, aduersus hostes prudentiam, ad pericula fortitudinem constat militantibus esse necessariam: ne nostra quidem castra vel immodestos, vel imprudentes,

prudentes, vel ignauos tyrones probant. Quid? quòd milites ejus generis deligendos esse traditur, qui paruo sint contenti, patientes solis, delitiarum ignari, fugientes illecebras, victu frugalissimi. Potest autem dubitari, quin ijs qui serio literarum flagrent studio, cupiditas tabem, ingluuies pestem, voluptas venenum mortiferum importet? Inuictos priùs *Annibalis* milites labor ad *Cannas* fecit, vt vincerent, luxus ad *Capuam* fregit, vt vincerentur. Quod vtinam hac ex parte atque iterum vtinam claudicaret comparatio! Sed ipsi parietes popinarum (dicendum est enim quod cum dolore sentio) ipsæ ciuitatis plateæ propemodùm emissâ voce personant, esse verbo floreſcentem, reipsâ labefactatam tabificâ non pestis, sed luxus contagione jampridem *Academiam*. Ac nimirum quoniam, & vulgò nugatoribus qui studijs quasi ludicris per otium, vbi vacat, nonnihil temporis impertiunt; & passim imperitis qui nusquam senserunt animi contentio quem laborem ferat, otiosi putantur esse qui studijs occupantur; Adijciam quod vulgari

non

non consonat opinioni, rationi tamen consonat, majus esse multis partibus, quod studiosis, quàm quod militibus, incumbit onus. Nam quantò labor animi quàm corporis angit grauiùs, & cruciatur animus quàm corpus importuniùs, & animi periculosiùs quàm corpora sauciantur; Quantò viris facilius quàm vitijs resistitur, & vitia difficiliùs quàm vulnera sanantur, & calumniæ quàm insidiæ perstringunt acriùs, vitantur ægriùs: tantò si reuerâ facimus quod debemus, si disciplinis inuigilamus, quæ nescimus discimus, docemus quæ possumus, Si nos perinde bonos ac doctos esse cupimus, si depugnamus contra vitia, si cum improbis dimicamus; si mollitiem, si desidiam, si libidinem reprehendimus; ne nostra conditio grauioribus molestijs, curis, angoribus, quàm hominum militarium semper implicabitur. Atqui vel ista sunt suscipienda, vel deserenda castra sapientiæ. *Quid* ergò *Musis sine Marte?* Vis triumphum? vincendum est. Vis coronam? certandum est. Q. *Cæcilium* jubet cauere *M. Tullius*, ne nimis familialiter inimicitia

tias cum *Verre* videatur exercere. Certè nobis etiam atque etiam curandum est, ne nimis effœminatè studijs optimarum artium incumbamus.

Qui studet optatam cursu contingere metam;

Quid? num florem adolescentiæ voluptati tribuit? laborem maturioribus annis reseruauit? Num per otium, num oscitanter se disciplinæ dedit? Nihil minùs. Quid ergò? *Multa tulit fecitq; puer, sudauit, & alsit.* Si spectes ætatem, in pueritiâ, non iuuentute modò; si laborem, multa ferenda, multa facienda, si vigilantiam, assiduâ pertinaciâ contendendum; cum sæuit æstus, sudandum; cum riget hyems, algendum. Sed pergat *Horatius. Abstinuit Venere & Baccho.* Miramur igitur ita paucos disciplinis vacare, quarum cupidi videri volunt, cum videamus ita multos illecebris vacare, quarum studium horrere debent. *Cicero* quidem pro *M. Cœlio*, scribit omnes voluptates, studia, delectationes, ludum, jocum, conuiuia relinquenda, si bebenè dicere voluerimus; quòd animus libidini deditus, Oratoris munere

nere

nere fungi nequeat. Quid? si benè facere, si benè sapere, non tantũ si benè dicere, studem⁹, vt profitemur; non multò magis voluptatibus, ludis, jocis, & quod est maximum, conuiuiorum libidini, quam *Cicero* vocat vitium ventris & gutturis, renuatiandum est? Nam quod accepimus à *Carthaginensibus* lege sancitum, nè quis in castris vinum biberit; Idipsum ad nostram quoque militiam, ac eorum inprimis qui præsunt alijs, in legibus *Platonis* accommodari scitis. Itaque mittamus vetus Prouerbium, *Quid Marti cum Musis?* Illud potiùs vsurpemus, vt *Plato*, vt *Cicero*, *Quid Baccho cum Musis? Quid Veneri cum Musis? Quid luxui cum Musis? Quid libidini cum Musis?* Neque tamen hæc eò dico, quasi judicio virorum sapientium liberales delectationes probari non censeam; sed quòd eas tantum probari censeam, quæ sapiant *Socratem*, non *Epicurum*; relaxent animos, non retardent; non infatuent, sed exacuant. Milites in bello sunt exercendi ludis, sed ejusmodi modò ludis, quibus & inest aliquid militare, & certa capitur vtilitas ad militiam. Cæterum

terum ne literarum qui faciunt tyrocinia, nimis terreantur, cum obuerſatur animo tanta ſimilitudo *Muſarum & Martis*; vnum eſſe fateor in quo diſſimillima mihi videtur ſtudiorum alioqui ſimillimorum ratio. Quod enim canit *Pindarus*, *dulce bellum inexpertis*, expertis acerbiſſimum; in literis longè ſecus eſt, quæ triſtes inexpertis, expertis ſunt ſuauiſſimæ. Nam qualem *Heſiodus* tramitem virtutis, talem experiaminis tramitem doctrinæ; primò ſatis aſperum, pòſt admodum procliuem; præruptum ingredientibus, ingreſſis expeditiſſimum. *Dianæ* faciem è marmore ſculptam in *Chio* poſitam commemorat *Plinius*, cuius vultum intrantes triſtem, exeuntes hilarem eſſe judicabant. Iſtam *Dianam* doctrinam eſſe putatote, quæ ſubdifficilis, vt è marmore, non ignobilis vt in *Chio*, ſed primum accedenti vultus triſtitiam, pòſt conſideranti profert hilaritatem. Ac idipſum adeò vobis, vti poſtulo, id eſt, *Dianam* iſtam hilarem videri, veſtrique madmodũ mihi perſuadeo, cum aſpectus hilaritas, tum alacritas concurſus jubent augurari. Nam ſi

laborem

laborem noſtrum non multò ſuauiorem, faciliorem ſaltem tumultu bellico putaretis; expertos ita crebrò, venturos ita ſedulò. facturos ita citò, quod inuiti ſolent ſerò, non admodum exiſtimo. Conjecturam è *Macedonum* rebus geſtis facio, quibus orientem ſub ALEXANDRO debellantibus, nec impetus militaris, nec fortis Imperator, nec ſecundiſſimus ſucceſſus defuit. Et tamen poſt tot ac tantos labores exantlatos, populos ſubactos, terras emenſas, victorias reportatas, flumina traiecta, cum ſibi tranſmittendos *Gangem* & *Indum* fluuios inaudirent, exanimati ſubitò, qui priùs animis infracti, nullis verbis, minis, monitis, precibus *Alexandri* Regis ſupplicis, obſecrantis, vt inuicti pergerent, incitari potuerunt. Ictus vtique Piſcator ſapit, expertus Miles bellum metuit. Num idem in ſtudijs vobis vſu venit? ſatis erectis animis *Iſocratem*, & *Demoſthenem* & *Ariſtotelem* quaſi *Tygrim* & *Euphratem*, & *Hydaſpem* trajeciſtis. Iam ad *Indum* & *Gangem*, ad *Æſchinem* & *Euripidem* eſt aggrediendum. Tantum abeſt, vt more

more *Macedonum*, perculsi laboribus, ignauiâ languentes, animus remiseritis, vt multò quàm priùs studijs alacriores, ad exequenda munia pristinæ militiæ confluxisse videamini. Quò longiùs progredimur, libētiùs audimur. Nimirū, *Adolescētes*, sic est rario doctrinarum! Vt fama rumorum, ita Fames studiorum,

—vires acquirit eundo,
Ingrediturq; solo & caput inter nubila condit.

Qui minimum sunt adepti, studēt minimum nanscisci; vos quantò plus habetis, tantò plus expetitis: ô præclaram auiditatem! Quam velim omnes ita sint auari, talem foueant cupidinem, tales corrogent diuitias, tales cumulent thesauros, laudabiliùs dum parant, commodiùs cùm possident, securiùs ne perdant, nec vt Dracones, thesauris incubent, sed alienos ad vsus erogent. Nam id etiam in istis opibus admirandum est, contrà quàm in illis quæ corroduntur vulgò, quòd alijs iuuandis quò profunduntur magis; eò nobis ipsis amplificantur magis; seruando minuuntur, minuendo crescunt, acquiruntur largiendo, congeruntur dis-

dissipando, retinentur impertiendo. Si parcas, perdis; si prodigas, parcis; amittis si recondas; si distribuas, custodis; non erunt diu tuæ, si sint solius tuæ; nunquam magis erunt tuæ, quàm si cunctis communes facias. Qui ditissimus esse volet, profusissimus sit oportet; qui parcissimus esse studet, egentissimus sit necesse est. Verùm, quò præstantior ex istis opibus fructus capitur, si neque sint adulterinæ, & rectum ad vsum conferantur; eò magis cauendum est, vt rerum species sæpè fallunt, ne præstigijs errorum capti putemus opes, quæ non sunt opes, & falsas proveris opibus colligamus. Nam vt irridet *Socrates* apud *Platonem* hortos *Adonidis*, non tam vsu frugiferos, quàm ornatu floridos, nec florentes tamen diù, sed marcescentes statim; ita sunt scriptores *Adonidis* non dissimiles, qui iuuenes incautos inescant suis opibus, vt illas adepti sibi diuites videantur; sed ad tempus modò fulgent, mox aut squalent aut euanescunt. Neminem nominabo. Putate significari vel lasciuos Poëtas, vel barbaros Sophistas, vel ineptos Nugato-

gatores; quorum scripta speciosa videntur multis, sed nôstris poma *Tantali*, placent vt fructus, fugiunt vt vmbræ. Imperitis felle tincta videntur aurea, quod eleganter *Aristoteles*. Quàm multis felle tincta, videntur melle lita? sed illud alienius. *Aristotelem* attendite; Imperitis felle tincta videntur aurea. Multi ludi felle tincti videntur aurei; multæ pompæ felle tinctæ videntut aureæ. Nolite falli, accedo propiùs. Multa scripta felle tincta videntur aurea. Non sunt aurea, sunt felle tincta; spernamus laruas, paremus opes. Modestam, non impuram, eruditam, non insulsam, prudentem, non verbosam, sapientiam pro diuitijs maximis vestigemus; id est, ipsam sapientiam, non sapientiæ simulationem. Sapientiæ porrò veræ possessione si volumus locupletari, cum studio literarum virtutis studium conjungendum est; vu major perpetuò benè viuendi, quàm optimè dicendi ducatur nobis ratio. Meministis, opinor, duplicem fuisse pridem à me propositam eloquentiam, vitæ, & linguæ, vtramque si conjugantur, commodissimam; priorem si separentur, potiorem;

rem; alteram, si sit sola, pestilentem. *Athenienses* quidem lege decreuerunt, vt ab *Æschine* refertur, ne quisquam ad tribunal de Repub. sententiam dicturus, vnquam accederet; qui non antiquiorem vitæ quàm linguæ, probitatis, quàm eloquentiæ curam habuisset. Quò mihi diligentiùs attendendum videtur, quod in *politiâ* scriptum reliquit *Plato*, Deum prepotentem animo. aureos illis qui Reip. tractaturi essent gubernacula tribuisse. Prudenter! Non enim dicit *Plato*, Deum Magistratibus futuris tribuisse linguas aureas, sed animos aureos: quos cum essent nacti, non dubitauit, & linguas aureas, & manus aureas, sermones, actiones animorum sensis, è quibus profluunt, similes futuras. Equidem non diffido plurimos ex hoc conuentu, partim Ecclesiæ, partim Reipub. loco Magistratuum esse præfuturos. Sed animos oportet habeatis aureos, Iuuenes politissimi; si ferreos habeatis, & multis præsitis, ipsis peribitis, & multos perdêtis. Quamobrem cùm mihi, vt è multis vni, pars istius muneris fingendi vestros animos, vt euadant aurei, quod initi-

mur,

mur, incumbat; delegi florem *Græciæ* Oratorum & Poëtarum, quorum vterer instrumentis: *Euripidem*, cujus *Cicero* singulos sibi versus singula testimonia scribit videri: & *Æschinem* ac *Demosthenem* quos ad audiendos concursus è totâ *Græciâ* factos accepimus. *Euripidis* autem *Hecubam* tragœdiam desumpæ, quâ vindicta proponitur auaritiæ *Polymnestoris*; quò fugiatis illam *sacram auri famem*, labem ingeniorum, pietatis corruptelam, venenum Reipub. *Æschinis* & *Demosthenis orationes aduersarias*, quibus lacessitur & propugnatur Innocentia *Demosthenis*. Quò præmeditemini, quid in studio virtutis expectare debeatis, inimicos, sed qui latrent, non mordeãt: calumnias, sed vt nebulas, quas sol discutiat; ærumnas, sed quas mitiget tùm conscientia secura, tùm exitus salutaris. Si corrumpi vultis auro *Polydori*, cogitate *Polymnestorem*. Est, est vindicta, licèt sera, sceleri. Vt suo non fungatur *Agamemnon* officio;

At sperate Deum memorem fandi atque nefandi.

Nisi corrumpi vultis auro *Phillippi*, cogitate *Demosthenem*, Habetis

Æs-

Æschines, qui corrumpuntur, aduersarios, insidijs, calumnijs, contumelijs, conuicijs, fâmam fortunásq; vestras appetentes. Atqui ferendum est. *Dura tolle, quid virtus erit? Non est ad astra, mollis è terris via.* Sed ista ne persequar, vt volebam longiùs quod aliàs, vti spero, faciam opportuniùs, promissio, quâ jam diu vobis sum obstrictus, mihi manum injicit, vt quæ restant, ad enodandum disputandi rationem breuiter expediam. Nam cum absoluissem ejus tractationis priora duo membra, materiam & finem; tertium, ideſt, Formam feciſſem tripartitam, vt *peritè*, *modeſtè*, *syncerè* disputetur: *peritè* superiùs est expositum; *modeſtè* pertractabitur in præsentiâ; *syncerè* suo tempori reseruandum est. Ac primùm, vt *Cyrus* olim suos *Persas* libertatis dulcedinem, ex labore seruîtutis docuisse traditur; Ita *modeſtiæ*, de quâ disserimus, pulchritudinem, vnde potiùs quàm ex superbiæ fœditate colligamus? Quæ tantò ceteris vitijs deformior (quanquam omnia sunt turpissima) sed tamen tantò cæteris deformior videri nobis debit, quòd illa

illa modò ſoleant è malis fruticari, ſuperbia ſit etiam è bonis metuenda; quibus tamen vbi naſcitur, inſtar viperæ matrem erodit, & è bonis emergens, à bonis deſciſcit. Taceo de virtute, dico de ſcientiâ; de quâ præclarum eſt illud *Senecæ*, *Multos ad ſapientiam pernenire potuiſſe, niſi iam ſe peruenisſe putâſſent.* Quamobrem vt ſapientiæ compotes euadamus, ab eâ quanto ſpatio diſtemus, meminerimus. *Peritiam*, ſi ſuperbam, odioſam haberi, non magis deſpicere, quàm eſſe deſpicatui; cum omnibus in rebus, tum inprimis in differendo, præſertim de rebus dubijs, opinionem arrogantiæ fugiendam cogitemus. Nam illud ne quis forſi tan imperitus rerum, in ſuâ quam ſomniat ſcientiâ ſibi placeat, eſt adijciendam; arrogantiam è bonis germinare videri, ſed adulterinis, potiùs quàm veris, ſimulatis, quàm ſinceris; fucoſis, quàm ſolidis; bonorum ſimulachris, quàm germanis bonis. Cum enim ſuperbia radicem habeat inconſiderantem amorem ſui; inconſiderantia porrò magis cadat in hebetes & rudes, quàm acutos & eruditos; fit vt ſtulti

ſint

sint superbissimi, maximè que sibi placeant, qui minimè placere debeant; prudentes, qui sciunt, quàm multa nesciunt, de se modestè sentiant, & inscientiam agnoscant. Itaque Sophistarum est ista consuetudo, quos irridet Philosophi vt se, quas profitentur, scientias, habere penitùs perspectas & cognitas affirment, paratos ad omnia respondere, quæ rogentur, quamuis subitò, præ se ferant, neminem multis annis quicquam ex ipsis nouì scisitatum, quod insolenter *Gorgias*; artem esse nullam, cujus, non ipsi literatè sint periti, quod *Hippias* gloriatur. Contrà verò *Socrates*, in cujus, personâ prudentiam singulari conditam probitate depingit *Plato*, Sophistarum confidentiam implicatam insciti semper exagitat, & ipse mirificam in enuntiando sequitur modestiam. Quod in illâ preclarâ morientis *Apologiâ*, quâ se defendit apud Iudices, ita certo judicio sibi factum testatur; vt ob eam solam causam se putet sapientissimum *Apollinis* Oraculo fuisse declaratum, quòd alij sibi videantur sapientes nec sint tamen, ipse quod

neſciat, neſcire ſe putet & omnem humanam, quantacunq; eſt ſapientiam, nullius eſſe admodum pretij cognoſcat. Ita *Socrates* de ſeipſo, vel de *Socrate* potiùs *Plato*. Verùm *Plutarchus* inſtitutum *Socratis* altiùs explorans duas proponit cauſas, cur ſe nihil ſcire fuerit profeſſus; alteram, iuuentutis, quæ corrupta fuerat,, corrigendæ ſtudium; alteram, cupiditatem veritatis, quæ latebat è tenebris eruendæ. Etenim, & ex animis hominum adoleſcentium eximere volebat, illam inanem ſcientiæ perſuaſionem, quam ex Sophiſtarum faſtu conceperant: & quoniam amantes in eo quod amant ſunt plerumq; cæci, ſuam autem opinionem homines quaſi partum ingenij nimis amant, idcircò nullam opinionem vt ſuam adamabat, quò verum liberiùs inueſtigare poſſet. Itaq; ſi modeſtam inſcientiæ profeſſionem, vt iuuentutis correctricem, inuentricem veritatis *Socrates* amplectebatur; etſi non dicamus idem quod *Socrates*, vti quidam imperiti *Socratem*, ſequuti, neſcire ſe clamabant, quod liquidò ſciebant, vt cum *Socrate* nihil ſcirent; tamen ſpectemus idem

dem quod *Socrates*, ſtudioſè, moderatè, leniter agendo, vt audax inſcitia iuuenum corrigatur, ſyncerum veritatis ſtudium propagetur. Patiamur ineptos venari cognitionis laudem arrogantiâ. Quò quiſque doctior, eò modeſtior. Vaſa fluitant inania, plena ſubſidunt. Dolia magis ſonant, quæ minus continent. Nihil poteſt eſſe vel confidentius ignorantiâ, vel temeritate fortius. Quis omnium Philoſophorum *Epicuro* ſtolidior? ſolus è Philoſophis ſapientem ſe profeſſus eſt. Quis doctrinâ, quis elegantiâ *Theophraſto* preſtantior? ita fuit moderatus, vt probitatem quandam & ingenuitatem præ ſe ferret Oratio. Nam *Socratis* modeſtia non videtur poſſe prædicari nimis, qui ſe non minùs cupidè redargui ſi fallatur, quàm ſi vera dicat redarguere profitetur. Sed iſtam illius commemorabilem laudem, *Platonis* potiſſimùm Dialogis incluſam, *Platonis* exemplis illuſtrare non poſſum: quoniam à minùs multis legi ſolent, cóq; longiores explicatus poſtulant: mihi verò neceſſariò res ſtrictim attingenda eſt, ſatis, intelligentibus, ignorantibus,

parùm. Videamus ergo potiùs, *Platonis* in omnibus insignis imitator, quemadmodum *Cicero* cum *Socratis* modeſtiam, tum *Sophiſtarum* arrogantiam, ſuarum perſonarum veſtigijs, adumbret. Qui cùm auditorem in *Tuſculanis* introducat facilem flexibilemq; ratione; *Cottam* comiter, *Balbum* grauiter, *Varronem* ſcienter, *Lucullum* ſuauiter, omnes modeſtiſſimè pro ſuis partibus pugnantes, ſeipſum cum *Piſone* peramanter deſceptantem, cum Q. *Fratre*, cum *Catone*, judicio quidem diſſentientibus, colloquentem tamen potiùs quàm controuerſantem; Denique præcipuas Philoſophorum ſectas, non majore ſtudio, quàm moderatione, quanquam in diſſidijs opinionum maximis, maximâ lenitate quo de agitur diſſerentes: ſolos *Epicureos*, quantò minùs peritè, tantò magis ſuperbè, ſua tantùm legentes, cuncta reliqua damnantes, irridentes quæ non intelligunt, contemnentes quæ non arrident, affirmantes quæ vix per ſomnium aniculæ delirarent, arroganter de rebus omnibus tanquam oracula fundentes facit, *Tum Velleius*, inquit

Cicero

Cicero, *fidenter sanè, vt solent isti: isti?* qui tandem isti ? *Epicurei.* Quid ergo Velleius ? *Fidenter, vt solent isti, nihil tam verens, quàm ne dubitare quidem de aliquâre videretur.* Ne dubitare videretur? Liceat hîc, quæso, mihi percontari, quod *Cicero Velleio* maximo vertit vitio, vsq; adeò vt totùm nationem *Epicuream* in eo reprehendat: annon idipsum inter nos vulgò maximæ ducatur laudi, fidenter, vt solent isti, nihil tam vereri, quàm ne dubitare de re aliquâ videamur? opinor Scholæ nostræ, similiter ac vitæ factæ sunt *Epicureæ.* Sed, qui tam verentur ne dubitare videantur, caueant, ne *Memmium* illum imitentur, quem ita procerum sibi visum esse tradunt, vt in forum descendens, caput ad *Fabianum* immanis altitudinis fornicem demitteret. Non inscitè sanè *Menedemus* quidam dicebat, plurimos *Athenas* studiorum gratiâ nauigare, qui primùm essent sapientes, tum Philosophi, deinde Rhetores, ad extremum idiôtæ. Meliùs ominabor nostris *Athenienſibus*: veruntamen à similibus initijs procedimus, vt primò simus sapientes, cum in

Scholis reſponſitamus, fidenter vt ſolent iſti, nihil tam verentes quàm ne dubitare de re aliquâ videamur. Itaq; poſſit aliquis iſdem ſæpenumerò verbis nos affari, quibus *Cotta Velleium*: *Quàm bellum erat, Velleie, confiteri potiùs neſcire quod neſcires, quàm iſta effutientem vauſeare atque ipſum tibi diſplicere?* Quamquam non multi ſibi forſan ipſis diſplicent. Sed vſq; adeóne in noſtris animis inualuit illum *Horatianum*,

—*Mihi turpe relinqui eſt,*
Et quod non didici ſanè neſcire fateri?

Quin imitemur potiùs, ſi minus *Ciceronem* vbi notat *Velleium*, ait ſaltem iudiciorum *Rom.* conſuetudinem, in quibus exercendis moderationem tantum adhiberi ſolitam eſt traditum, vt non modò teſtes quæ neſcirent, neſcire faterentur, Iudices cum hæſitarent, pronunciarent. Amplius; verumetiam teſtes *arbitrari* ſe dicerent, etiam quæ vidiſſent, Iudices ea quæ comperiſſent iurati, non eſſe facta, ſed *videri* pronuntiarent. Itáne eſt? Quod *Ethnici* faciunt in rebus certis ac cognitis, id in dnbijs & obſcuris non facient *Chriſtiani*

ſtiani? An malumus exempla ſequi vel leuium *Græcorum*, vel immanium *Gallorum*, quorum ab alteris fidem derogandam ſuadet *Cicero* judicibus videre, quo vultu, quâ confidentiâ dicant teſtimonium: in alteris *Inductomarum* aſperè perſtringit, quòd verbum illud conſideratiſſimum *Romanæ* conſuetudinis, *Arbitror*, è ſuo teſtimonio ſuſtuliſſet. Non dico, quod grauiter in Officijs præceptum eſt, fugiendam nobis omnem prouuntiandi temeritatem, ne incognita pro cognitis habeamus, ijſq; temerè aſſentiamur, quod eſt imprudentiæ. Tantùm dico, quod exemplis, quod inſtitutis, quod judicijs doctiſſimum probatum eſt. Si itaque *Romanorum* quàm barbarorum, *Ariſtotelis* quàm *Epicuri*, *Ciceronis* quàm *Velleij*, *Platonis* quàm *Poli Socratis* quàm *Hippiæ*, *Philoſophorum*, quàm *Sophiſtarum* ſimiliores velimus eſſe, confidentem arrogantiam abdicandam, *modeſtiam* in differendo colendam, vitandam pronunciandi ſuperbiam, cupiditatem diſcendi preferendam ſentiamus.

ORATIO POST FESTVM MICHAELIS. 1576.

FRequentia vestrûm (*Adolescentes Ornatissimi*) qui tanquam ad conuiuium hospites ecces, sic ad audiendum auribus auidissimis confluxisse, videmini, non tam mihi magnam jucunditatem affert, licèt afferat permagnam, tanquam beneuoleatiæ vestræ testimonium; quàm angorem animi tristitiâ cumulatum, quòd tenuitas apparatus, amplitudine conuiuarum minùs esse digna mihi videatur. Nec enim imitari possum *M. Tullium* qui *Trebatium* Iurisconsultum, hominem vt ait, auidum, quoniam ad epulas discendi receperat, sic accepturum se profitebatur: vt reliquiarum aliquid esset potiùs, quàm eum non satiatum discedere pateretur. Quin opus est mihi magis *Socrate* consolatore, qui

cum opulentos inuitâsset hospites,& admoneretur parùm esse splendidũ factum apparatũ, Moderatis, inquit, satis est, intemperantibus plus satis. Nam à vobis quidem *Trebatium* discendi cupiditate superari, perpetuus vestrorum studiorum cursus facit, vt confidam. Verùm meus apparatus non *Ciceronis* est, sed *Socratis*, hospitibus studiosis, vti spero, futurus satis, morosis, quibus ego non seruio, plus satis. Quorum quidem alteros, qui superbo fastidio non probant mediocria, sublimiora postulant, ab hoc conuentu prorsus abesse credo libentiùs; quoniam alteros, qui modesto judicio vulgaria non fastidiunt, amplectuntur vtilissima, vestræ coronæ solos interesse, persuasum habeo. Quodeò mihi certiùs polliceri posse videor quia studium doctrinæ comitatem habet comitem; neque vera scientia cum superbiâ commiscetur,& quarum animi disciplinis, modestiâ mores poliuntur, vt liberales artes humanitatis ab hominibus eruditis meritò sint appellatæ, quòd illarum ornamentis excoli qui studeant, ornari præ cæteris humanitate soleant. Quàm autem

fla-

flagranter istis humanitatis fluminibus illustres esse studeatis, testis est mihi concursus hodiernus, testis sit alijs quotidianus labor: quem studio discendi nunquam intermisso, tam ardenter à vobis exantlari non dubito, vt vestra diligentia factis exæquetur; quod fabulis adumbrârunt veteres poëtæ, qui *Minervæ* & *Apollini*, quos studiorum finxerunt præsides, alteri oliuam arborem consecrârunt, quæ semper floret; alteri laurum, quæ viriditatem, nisi cum moritur, non amitit. Nimirùm illæ vobis quasi faces ad industriam ob oculos versantur crebrò, viros præstantissimos optimis disciplinis non immorari solùm, sed etiam immori judicâsse dulcissimum. *Catonem* sapientissimum *Romanorum* propter inexhaustam auiditatem legendi, librorum helluonem esse nominatum; *Solonem* sapientissimum *Athenienſium* de seipso gloriari solitum, quodammodo se multa quotidiè discentem senem fieri; *Ciceronem* denique principem eloquentiæ, sic inflammatum esse studio cognitionis, vt illorum iniquitatem perstringeret, qui modum in eo desi-

dera-

derarent. *Nam & difficilem, quandam temperantiam in eo*, inquit, *postulant, quod semel admissum coërceri non potest; & omnis quærendi defatigatio turpis est, cum id quod quæritur sit pulcherrimum.* Quamobrem (ne *Cicero* dicat testimonium contra *Ciceronem*) quod è *Cicerone* de pecunijs largiendis, ad studiorum rationem nuper accommodaui, nec ita claudendas facultatum nostrarum fontes, vt eos benignitas aperire non possit, nec ita reserandos vt continenter pateant; modus adhibeatur, admonui, quod visum est, è verbis *Ciceronis*, sed quod mihi visum est, non quod *Ciceroni*. Nam ab eo requiritur in pecunijs liberaliter erogandis moderatio, ne beneficentiæ fons exhauriatur; in laboribus sapientiæ studio suscipiendis mediocritas non requiritur, immò reprehenditur; tanquam imprudenter rei, quò major sit, eò meliori modus præscribatur. Ego verò quod dixi, sensi, neq; de sententiâ priſtinâ discedo, probandum in omnibus illud, *ne quid nimis*, virtuti studendum semper, doctrinæ, pro viribus, curam nobis animi, sed & corporis commissam

Cic. l. 1. de Fin.

Off. 1. 2.

missam: nitendum vt benè viuamus, ergò etiam viuamus; habendam rationem acquidendæ sapientiæ, sed eadem sapientia tueri jubet valetudinem, vt quod libenter facimus diu faciamus. Veruntamen si fortassis in alteram partem sit declinandum, vt plus minúsve, quàm oporteat, temporis in sapientiæ studium impendamus, omninò vt *Aristoteles* in sumptibus faciendis, præferendos censet profusos tenacibus, prodigos auaris: ita malim thesauros temporis luxuriosiùs, vt ita dicam, in literas effundi, quàm auariùs retineri. Mori videbamus in studio dimetiendi pœnè cœli atque terræ *Sulpitium Gallum*, inquit *Cato*. Quod à *Gallo* si factum est, vt Astrologiæ disciplinam, syderum cursus, naturas efficientiam, defectus solis, lunæ vicissitudines, stellarum & errantium, & fixarum, rationem cognitam haberet; non ab isto *Gallo* nos excitabimur, vt industriâ si minùs majore, saltem pari, peruestigemus artes, numero plures, vberiores vsu, splendore clariores, præsertim vt Dei Majestatem, bonitatem, misericordiam, defectum hominis, rerum

Ethic. l. 4.

Cic. in Cat.

rerum viciſſitudinem, virtutum & vitiorum, erroris & veritatis rationem indagemus? In quibus perſcrutandis ſi quemadmodum luſcinia canendi contentione vitam finit aliquando, ſpiritu prius deficiente quàm cantu, ita non diſcendi cupiditate conſumeremur, vitâ priùs deficiente quàm ſtudio. Quis noſtrûm eſſe poteſt, tam abjectus animo tam affixus terræ, tam prorſùs nihil cogitans de ſapientiæ dignitate, ſi primoribus tantùm labris eam deguſtauerit, qui non illud in optimâ cauſâ vſurpârit, quod *Virgiliana Dido* in peſſimâ vſurpauit, *Sic ſic iuuat ire ſub vmbras?* Quanquam paulò ſecùs ſum locutus ac decebat. Quid enim nobis cum *vmbris?* Cum ſimulachris *Erebi?* Quid *Chriſtianis* cum inferis? Veniat *Iris* ſacrum *Proſerpinæ* crinem ablaturo,

Plin. l. 10. c. 29.

Didoniſque caput ſtygio damnauerit Orco.

Conqueratur *Dido* poſtquam *Æneæ* dulcibus exuuijs liberandam curis animam commiſerit;

Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.

Dicant *Catones*, *Solones*, *Ciceroncs*, dicat

dicat *Aristoteles*, dicat *Socrates*, dicat *Plato*, dicat *M. Varro*, qui tam multa legit, vt ailquid ab eo scriptum miretur *Augustinus*, tam multa scripsit, quàm multa vix quenquam legere potuisse credat; dicant demùm *Ethnici*, qui moriuntur in studio cœli dimetiendi, cum versentur in ignoranntiâ dimetiendi sui, dicant igitur isti cum totam ætatem in studijs contriuerint, *Sic, sic iuuat ire sub vmbras.* Vos *(Auditores optimi)* qui non potestis obliuisci, quod meminisse debetis semper, in terrâ diuersorium quasi peregrinantibus, in cœlo domicilium nobis esse sempiternum; cóque memores futurorum, politiores artes, cum Christianâ pietate, scientiam humanam cum Dei cognitione conjungitis, spero; (quid enim potius faciatis?) non habetis cur debeatis cum *Didone*, ac Ethnicis, verbo solatium, reipsa cruciatum vobis policeri; sed vmbras relinquentes illis, qui rerum vmbras in profanis quærunt, non solidam sapientiam, ita mentes institutis, vt canatis potiùs, *Sic, sic iuuat ire sub astra.*

Nunquam

Nunquam Stygias fertur ad vmbras
Inclyta virtus: viuite sancti;
Nec Lethæos sæua per amnes
Vos fata trahant;
Sed cum summas exiget horas
Consumpta dies.
Iter ad Dominum gratia pandet.

Equidem si quid vobis in me subsidij posset esse, quo valeatis expeditiùs istam in studijs vitæ, viam conficere, non ad vmbras deflectentem, sed ad astra subuolantem; de facultate nihil spondeo, quæ tennior est quàm velim, sed tamen quantulacunque est, vestris vsibus parata est. De voluntate tantum recipio, nullas eam curas, vigilias, labores, iuuandi studio, recusaturam. Assentior enim (in quo fortassis erro, cæterùm assentior) (vt parua magnis conferam) *Vespasiano Cæsari*, qui cùm à medicis reprehenderetur, quòd ægritudine tentatus cunctis Imperatoris muneribus fungeretur, *Imperatorem*, inquit, *stantem mori decet.* Atque adeò quia domestica magis placent quàm externa, *Vespasiani* loco de *Iuello* potiùs nostro meminerimus, qui non multis ante mortem diebus aliquò proficiscens ad

Dei

Dei populum instituendum, cum ab amicis moneretur, vt infirmi corporis parceret valetudini, respondisse fertur, *Vbi potiùs Episcopus quàm in suggestu moriatur?* Præclara verò vox, & viro tanto dignissima, quam vtinam vel euentus in ipso non impleuisset, vel in alijs par voluntas euentu dispari comprobaret. Sed ego, cui dissimilis & facultas est & occasio, studium officij faciendi non dissimile videtur esse oportere, quanquam his diebus valetudine subinfirmus corporis quietem quã animi contentionem suppeditare mihi maluerim, tamen faciendum esse non putaui, vt pristinam orationis habendæ consuetudinem, priusquam vsitatas *prælectiones* aggrederer aut prorsus abrumperem, aut ad præsens intermitterem. Non enim quemadmodum Leones *Syriaci* apud *Aristotelem* primò quinque fœtus pariunt, deinceps quatuor, post ad partus singulos vno pauciores, donec ad extremum omninò steriles nullum fœtum pariant, ita nobis licet primùm esse diligentibus, deinde remissioribus, quoad inertiâ demùm torpescentes nullos ingenij

ingenij fœtus pariamus. Imò potiùs, vt *Assyria* malus apud *Plinium*, quæ venenis medetur, omnibus anni temporibus edit fructus, pomis alijs cadentibus, alijs matureſcentibus, alijs ſubnaſcentibus, ita decet literarum ſtudioſos propè dixerim, profeſſores ſine dubio, qui tanquam malus *Assyria* venenis mederi debent, eâ eſſe fœcunditate, vt perpetuò germinent, floreant, fructificent, & eodem tempore cùm maturos fructus edant, tùm nouos habeant ſuccreſcentes. Quos ego perlibenter illius generis vobis ederem, cujus erant ſuperiores orationes duæ, in quibus ſum conatus venenis peſtiferis, exemplis, conſilijs, maleficijs improborum facere medicinam: ne, ſi vitales nobis inficiant ſpiritus, virtute & ſapientiâ, id eſt, vitâ ſpoliati, improbitati & ſtultitiæ, id eſt, morti mancipemur. Ac iſtis germana, quæ pectus prudentiâ, pietate vitam excolant, neſcio quomodo mea cupidiùs anhelat oratio. Sed quoniam & leuiora nocent interdùm, & ſtudia, vt dicitur, abeunt in mores, & medici reliquarum quoque corporis partium, non ſolius

ſolius capitis curam ſuſcipiunt: antequam pertexam illa grauiora de ſtudio virtutis & ſapientiæ perſequendo, quæ ſi *Deus* voluerit ſuo tempore ſuccedent, commodius, opinor, erit, vt minutiora quædam abſoluam, quæ debentur jamdiu vobis, fortaſſis expectantur. Nam cum abhinc ferè triennium occaſio tuliſſet è quibuſdam controuerſijs priùs excitatis, vt diſputationes, è quibus non minima mihi videbatur neceſſariorum ſtudiorum exiſtere corruptela, corrigendas monerem: ingreſſus ad explicandam diſputandi rationem, dum ſingula diluciditùs enodare ſtudeo, rei tractationem produxi longiùs, quàm putâram. Etenim à primis ejus exordijs auſpicatus, quoniam opiniones falſæ & prauæ, peſtes mortalium, è corruptâ noſtrâ naturâ pullulantes erroribus & vitijs humanam vitam inquinabant; propterea quæſitum eſſe morbo remedium; remedium eſſe, ſcire & ſequi veritatem; ad veritatem eruendam ingenia conuerſa, cuius lumen cum eluceat è conflictu rationum, & rationes diſputando facillimè dijudicentur, diſputandi

ſputandi rationem eruendæ veritatis cauſâ inſtitutam fuiſſe patefeci. Quæ cum à Philoſophis, id eſt, omnibus omninò ſapientiæ ſtudioſis diligenti rationum collatione veſtigaretur, exorti ſunt peruerſi vel Philoſophaſtri, vel Sophiſtæ, qui vt tyranni Rempublicam *Athenienſem*, ſic illi diſputandi conſuetudinem peruerterent; dum aut ſuis ſententijs, aut alienis præiudicijs, aut certis hominibus pertinaciter addicti, partim animi, partim lucri, partim gloriæ feruentes ſtudio, non veritatis eruendæ quam faſtidiebant, ſed neſcio quâ præpoſterâ concertandi, rixandi, vincendi, gloriandi libidine diſputarent. Quamobrem, vt iſta labes, quæ Chriſtianas etiam fœdauit *Academias* (nam vtinam noſtras tantùm ſcholas attigiſſet!) ſed vt iſta labes, ſi qua fieri poſſit, ex hominum ſtudioſorum exercitationibus prorſùs eluereturr, diſputandi rationem ad cauſas quaſi fontes reuocaram, quò ſtudijs commodiores eſſent illæ crebræ diſputationes, quas vſurpamus, tria nobis exhiberi conſideranda monui, primò finem, tùm materiam, poſtremò formam:

mam: quorsùm, quibus de rebus, quomodo sit disputandum. Finem oportere proponi veritatem; materiam, quæstiones vtiles tractatu; formam, vt peritè, modestè, syncerè disceptemus. Peritè, non inscienter, & artium, quas tractamus, & differendi gnari, Modestè, non arroganter, & difficultatis rerum & nostræ conscij tarditatis. Syncerè, non pertinaciter, vt auidi vetitatis, non victoriæ, studiosi non sectæ, sed scientiæ. De cæteris omnibus vt potui exposui, quæ mihi videbantur; sola pars extrema .i. pertinacia restat euellenda; quæ potest eò leuiùs attingi, quoniam ex arrogantiâ de quâ dictum est, fruticatur. Est enim pertinacia filia superbiæ, cuius œstro perciti, qui sibi nimis placent, vt in rebus alijs sic inprimis in disputando, quod sit ipsis glorioſissimum, non quod optimum, aucupantes, cognitioni veritatis, opinionem cognitionis & acuminis anteponunt. Itaque, si qua fortassis in hominum iudicijs dissensio suboriatur, ad suam defendendum peruicaciam inuictam adhibent; non luce veritatis, non rationis splendore;

non

non ſententijs doctorum, non vtilitate rei, non tacito conſcientiæ ſenſu permouentur, quò minùs tueantur quod ſemel arripuerint. Vſque adeò de dignitate ſolâ ſolliciti, rerum naturam immutari mallent, & omnia Cimmerijs tenebris perturbari, quàm ſuum errorem agnoſcant prudenter, aut in aliquo per imprudentiam ſe prolapſos fateantur. Non omnes ſic affectos, eſſe *Stoicos* exiſtimo, ne profitentur quidem; & tamen in ſententijs ita ſunt præfracti, tanquam ſententiam mutare ducant nefas. Sectas Philoſophorum, quibus ſunt addicti, non ex omni parte defendere, perfidiam; videri vinci, contumeliam; inferiorem haberi, dedecus; doceri meliora, flagitium; diſſentienti cedere, licèt dicat veriùs, probabiliùs, commodiùs, immane ſcelus arbitrantur. Iam ex iſtâ malorum lernâ quæ nobis Hydræ procreentur, quæ monſtra vexent Græciam! quæ factiones, odia, conuicia, iurgia, ludibria, contentiones, quæ malitiâ pro modeſtiâ, quæ diſcordia pro doctrinâ, quæ deformatio potiùs animorum quàm inſtitutio ſæpenumero prorumpat,

rumpat, ſenſit *M. Cicero*, cum Philoſophos quoſdam perſtringens, maledicta contumelias, iracundas contentiones, concertationéſque in diſputando pertinaces indignas ſibi Philoſophiâ videri aſſereret. Senſit nuper *Ludouicus Viues*, qui deprauatam ſuperiorum temporum diſputandi conſuetudinem in *Academijs* reprehendens, Ex iſtis, inquit, diſputationibus contentioſiores, & peruicaciores diſcedant multi, doctior aut melior ferè nemo. An idem de noſtris, quod *Viues* de ſuis ſentire debeamus, malo relinquere vobis cogitandum, quàm peruerſitatem hominum lamentari. Nam aliquando, ſcio, rem inter diſceptantes ita geri contigit (quod hodiè, ſpero, ſecùs eſt. & vt ſit exopto) quaſi contumeliæ ſedes & impudentiæ, quas *Athenis* poſitas actori & reo ſcribit *Pauſanias* ab *Athenienſi* foro ad *Oxonienſes* Scholas eſſent peregrinatæ. Tantò modeſtiùs *Aiax* & *Hector* apud *Homerum*, inter ſe de ſanguine certaturi colloquuntur, quàm nonnulli de nugis neſcio quibus diſputaturi; quos ſi qui ſequantur, caueant, ne meritò catulis latrantibus à

Socrate

Socrate comparentur. An quia *Lacedæmonij* pugnam inituri faciebant ſacra Muſis; idcircò illi ſermonem habituri ſacrificandum putant *Marti? Bacchus* quidem apud *Ariſtophanem*, cum *Æſchylus* contumelioſiùs inueheretur in *Euripidem* (quos *Ariſtophanes* fingit per calumniam de præſtantiâ rixantes, vter eſſet Poëta melior, quò propinaret eos populo deridendos) monet *Æſchylum* ira furentem, vt ſibi temperet. Tu verò, inquit, *Æſchyle*, non iracundè ſed modeſtè refellas, refellaris: nam Poëtas, vt mulierculas, conuiciari non decet. Quid igitur? num Poëtas, vt mulierculas, conuiciari non decet? decet Philoſophos? ſed quid ego vobis *poetam Ariſtophanem*, artificem ſcurrilitatis, vt Magiſtrum modeſtiæ pro Monitore propono? *Ariſtoteles* Philoſophus omnem occaſionem præcidere cupiens diſputantibus, in iſtas proteruitates impingendi, *extremo libro Top.* vbi diſputandi rationem explicat, cauendum eſſe monet, ne facilè cum quibuſuis, præſertim ambitioſis hominibus & proteruis diſputationem ineamus: quoniam ex eo maledi-

cta, contumeliæ, sermones improbi nasci solent. Præclarè vidit, prudenter consulit, disputantibus fugienda quæ mores inquinant; ea si non possumus declinare curando, ne cum personis iniquioribus in certamen veniamus, at vt nostra moderatio malorum minuat occasionem, curare possumus & debemus.

T ORA-

D. IOHANNES RAINOLDVS GVLIELMO RAINOLDO FRATRI SVO, SALVTEM IN CHRISTO IESV.

NEque meus amor tui singularis, *Frater charissime*, tacere patitur, quin tibi manus è flammis liberando, si possim, admoueam; neq; tua peritia rerum earum, de quibus verba faciam, vt multa loquar, finit; cùm *doctum docere*, veteri Prouerbio, quasi superuacuum, vt arbitror vetetur. Tantumigitur, vt *Sulpitius* scribit ad leuandum dolorem *Ciceronis*, ea quæ in mentem ipsi venirent, non quòd ea *Ciceronem* fugere existimet, sed quòd dolore forsitan impeditus minùs ea perspiciat; sic ad minuendum errorem tuum, in quem ne viuam nisi te prolapsum mirabiliter doleam, scribam quæ mihi veniunt in mentem, non quòd *Cicer. lib. 4. Ep. fam.*

ea te fugere existimem, sed quòd affectu forsitan occœcatus minùs ea perspicias. Et quasi memorem moniturus, tantùm intendam digitum ad fontes: si quod volo consequar, tuâ salute, meæ conscientiæ, si non consequar, testimonio, lætaturus, vti spero, saltem aequiescere quoquo modo paratus. Quoniam autem mihi præsens præsenti declarâsti, quid commouerit tuum animum, vt ab Ecclesiæ nostræ communione te sejungeres, cujus ante non pars modò, sed pastor etiàm extitisti; non quæram vnde tanta tam subitò proruperit in re maxima mutatio. Illud dicam, ea, quibus te de fidei dejectum stabilitate videris confiteri, non esse quæ confringant *arundinem quassatam*, esse quæ commoueant. Itaque confido te solùm ad temp⁹ tentationis impetu, quod pijs sæpè contigit abreptũ; breui restituendum pristinæ firmitati; quod Dominus vt concedat, quàm possum ardentissimis precibus contendo.

2 Equidem *Augustinum* de *vnitate Ecclesiæ* quemadmodum rogâsti, perlegi diligenter: qui te quoque si quid ego judico, mouere debet

bet, ne ab Eccleſiæ, quæ corpus eſt Chriſti, ſocietate ſegregeris. Nam, ne laruis moueamur *Donatiſtarum* Eccleſiæ nomen prætexentium, doceri ſcis ab *Auguſtino*, Eccleſiam eſſe corpus, cuius caput ſit Chriſtus, membra Chriſtiani. Sed tu vis eam quem Romæ; ego *Hieroſolymæ*; tu in Romani Pontificis Decretis, ego in Sacroſanctis DEI Scripturis. Vtri tandem igitur aſſentitur *Auguſtinus*; quoniam eum autorem à me volebas legi. *In verbis noſtris*, inquit *Auguſtinus, eam quæremus, an in verbis capitis ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti? Opinor in illius potius verbis, qui veritas eſt, & optimè nouit corpus ſuum.* Idem dices à te fieri, qui in Domini promiſſo quo ſubleuauit *Petrum*, cum diceret ſe orâſſe *Ne deficeret fides eius*, perpetuam Eccleſiæ in ſede Romanâ firmitatem ſtatuis. Non potes eſſe neſcius, mi frater, quàm hoc ſit alienum, qui præſertim & *Antiochiæ* ſcias fidem defeciſſe, cui non minùs præſedit Petrus, atque Romæ; & multa priuatim eſſe dicta *Petro* non poſſis inficiari, quæ cæteris non conueniant; & quæ conueniant cæteris, cur magis Epiſco-

Aug. de vtil. Eccleſ. c. 2.

Luc. 22.

po Romano conueniant, quàm omnibus Episcopis, demonstrare nequeas; & ad extremum non omnes esse *Petros*, qui *Petro* succedunt, quorundam Romanæ sedis fidem defecisse satis intelligas. Ne *Augustinus* quidem illam Ecclesiæ tractans vnitatem, & firmitatem adeò, contra Donatistas, vsquam huius loci mentionem facit, qui cæteróqui futurus erat aptissimus. Mihi verò contrarium videtur eluceſcere prorsus ex *Augustino*, si Romanam Ecclesiam, non vt olim fuit, sed vt nunc est, spectare velis. Nam vt eos, qui de capite consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant, negat esse in Ecclesiâ, quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ipsius Christi testificatione, dissentiunt: sic eos quicunque de capite, id est, Christo, dissentiunt à Scripturis sanctis, negat esse in Ecclesiâ, etiamsi in omnibus locis conueniant, in quibus Ecclesia designata est. Atqui Papistæ de ipso capite à Scripturis Sanctis dissentiunt. Nam, vt copiosè à nostris demonstratum est, cum Deus nobis dederit Christum vt caput, æternum Regem, Prophetam summum,

Aug. ibid. c. 4.

Calvin. Inst. lib. 2. Beza Conf. c. 7.

mum, ſolum Sacerdotem, à quo regamur, doceamur, ſanctificemur in æternum: Papiſtæ nouâ formâ regiminis, doctrinæ, Sacerdotij, nouis interceſſoribus, Sacrificijs, ſatisfactionibus, Chriſto ſuum munus, officium, dignitatem, (ne quid dicam grauius) partem maximam diripiunt. Ex quo ſequitur neceſſariò, judicio *Auguſtini*, Papiſtas non eſſe in Eccleſiâ, nedum eſſe Eccleſiam, quemadmodum gloriantur. Certiſſimum eſt ſine dubio, quæ de juſtificatione ſtatuunt, de libertate arbitrij, de ſanctis inuocandis, adorandis imaginibus, indulgentijs proſtituendis, compluribus ejus generis, quæ partim attigi, partim attingam, manifeſtis Scripturæ teſtimonijs refelli; quod & tua conſcientia poteſt teſtari, & à viris doctiſſimis millies comprobatum eſt, & ego, ſi in eo reſtiteris, euincam. In Scripturis igitur, vt *Auguſtini* verbis vtar, quia nullo pacto ſibi diuina eloquia contradicunt, nullo modo inuenietur, quod contra hoc tam manifeſtum reditari poſſit. Reſtat ergò vt non ex diuinis libris, ſed ex vobis iſta dicatis. Proinde digniſſimè reſponde- *Aug. lib. c. 15*

 bitur,

bitur, Anathema ſitis. Quod ab illo dictum contra Donatiſtas, à nobis in Papiſtas aptiſſimè torqueri poteſt. Cùm noſtra doceamus clariſſimis Scripturæ verbis, ideóq; nihil illis in ſacris literis aduerſetur; reſtat ergo vt non ex diuinis libris, ſed ex vobis iſta dicatis. Proinde digniſſimè reſpondebitur, Anathema ſitis. Tenent enim Eccleſiæ Apoſtolico labore fundatæ, cum quantâ ſibi curâ ſit prædictum; *Si quis vobis euangelizauerit, præterquam quod accepiſtis, Anathema ſit.* Porrò, nullo modo cum eis communicandum, qui nobis annuntiant, præterquam quod accepimus in ſacris Scripturis; id eſt, cum illis, qui anathemati deuouentur, vt idem adijcit *Auguſtinus.* Cum Papiſtis igitur non communicandum, quorum non Eccleſia, ſed Synagoga, non Sponſa Chriſti, ſed impura meretrix, non colit Deum Hieroſolymis, ſed Babylone cum gentibus fœrtatur. Quoniam & Diabolus, inquit *Auguſtinus*, qui propterea de cœlo cecidit, quia in veritate non ſtetit, ſi anathema fuiſſet homini, quando ei præterquam, quod à Domino Deo acceperat, annuntiauit;

Aug. de vnit. Eccleſ. c. 19.

primi

primi parentes carnis noſtræ, nec in pœnam mortis incidiſſent, nec de loco fœlicitatis exijſſent.

Habes itaq;, mi frater, cur aſſentiri non poſſim, vt communionem cum Eccleſiâ Romanâ colendã eſſe arbitrer: quoniam Eccleſia Romana communionem cum Chriſto, qui caput eſt Eccleſiæ, non colit. Non attingo vitia morum, Lupanaria Romana, Lanienam Gallicam, immanitatem, perfidiam, perjurium; quæ publicè Romæ probari, à Deo improbari ſcio. Sed iſta non dico ideneam eſſe cauſam, modò fidei vnitas ſit integra, cur ab vnitate nos Eccleſiæ ſeparemus, vt fecerunt Donatiſtæ. Dico Religionem, Fidem, Chriſtum ita Papiſtarum hæreſibus violari, vt eos non poſſe eſſe Eccleſiam ſolis luce ſit clarius; qui præſertim anathemate feriuntur ab Apoſtolo; ideoq; cum illis non communicandũ vel ab *Auguſtino* diſcere poſſimus.

Iam Orationis vela ſunt contrahenda, vt breui. Epiſtolâ cuncta, quæ te mouent ſaltem perſtringam; quorum ſi quid fortaſſe vel obſcurius dicetur, vel infirmiùs probabitur, dum breuitari ſtudeo, quan-

docunque voles, ſi reſcribere non grauaberis, & apertiùs tractabitur, & confirmabitur nemoſiùs. Interea quoniam non ſinunt, aut temporis, aut literarum anguſtiæ minimam eorum partem, quæ dicenda forent perſequi, vehementer à te quæſo, vt ea ſcripta piorum hominum, ad quæ te remittam, euoluas diligenter cum ſtudio diſcendi, non præjudicio condemnandi; vt ego, quæ rogâſti, in *Auguſtino*, *Gregorio*, *Centuriis* legi, & ſi quid aliud voles, legam. *Eccleſiam eſſe fundatam ſuper doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum*, cujus ſubſtantia Chriſtus eſt, Apoſtolus demonſtrat: & *oues Chriſti Paſtoris audire vocem Paſtorem nóſſe, Paſtorem ſequi, non ſequi alienum, quia non nouerunt vocem alienorum*, Chriſtus aſſeuerat. Vera igitur eſt Eccleſia, quæ Dei Verbo paret; eaque in Dei Verbo demonſtranda eſt: non in Concilijs, etſi Sanctis, ſuis, nedum Tridentino, quo vix vllum impurius, ſed Eccleſia in Dei Verbo demonſtranda eſt. Cur enim non ſit nobis requirendum à Papiſtis, quod à Donatiſtis flagitauit *Auguſtinus*: *Demonſtrent ſuam Eccleſiam ſi poſſint, non*

Ephes. 2.

Ioh. 10.

Aug. c. 16. de vnit. Eccleſ.

in

in ſermonibus & rumoribus Aſrorum, non in Conciliis Epiſcoporum ſuorum, non in literis quorumlibet diſputatorum, non in ſignis & prodigiis fallacibus, quia etiam contra iſta verbo Domini præparati & cauti ſumus redditi; ſed in præſcripto Legis, in Prophetarum prædictis, in Pſalmorum cantibus, in ipſius Paſtoris vocibus, in Euangeliſtarum prædicationibus & laboribus, hoc eſt in omnibus Canonicis Sanctorum Librorum autoritatibus.

7 Commemorabis mihi quædam ex *Eſaia, Dauide, Euangeliſtis*, quæ pertinent quidem ad Eccleſiam, ſed an ad Romanam pertinent? Apertum eius rei teſtimonium requiro. Nam & ibidem *Auguſtinus* à Donatiſtis, *Nec ea*, inquit, *colligant, quæ obſcurè vel ambiguè, vel figuratè dicta ſunt, quæ quiſque ſicut voluerit, interpretetur ſecundum ſenſum ſuum: talia enim rectè intelligi, exponique non poſſunt niſi prius ea, quæ apertiſſimè dicta ſunt, firmâ fide teneantur.* Ne multa, paulò poſt, quam Eccleſiam requirat docens, *Ego*, inquit, *ipſam Eccleſiam requiro, vbi ſit, quæ audiendo verba Chriſti & faciendo ædificat ſuper petram; & audiendo & faciendo tolerat*

Aug. de vnit. Eccleſ. cod. c.

tolerat eos, qui audiendo & non faciendo ædificant super arenam.

8 Et hæc est Ecclesia, Frater, quam ego similiter requiro, quam Romanam esse nego, quæ non audit verba Christi; nam, non facere, non vrgeo. Imò verò, inquies, audit Verbum Dei. Obijcio locos in quibus non audit: *Fide iustificamur, gratis*, & alios id genus. Respondes Verbum Dei non ex sono, sed sensu Verborum æstimandum. Concedo. Ad sensum autem eliciendum, quoniam alij aliter interpretantur, regulâ quâdam opus est. Fateor. Sequendum igitur pro regulâ judicium & censura Romani Pontificis, cujus interpretatio cujusmodi fuerit, etsi repugnare sensui Scripturæ maximè videatur, tamen, vt ait *Hosius*, ipsissimum est Dei Verbum. Plumbeam narras regulam, & ædificio Dei ineptam. Nihil tale vspiam *Augustinus*, quanquam litigaret de sensu locorum cum *Donatistis*: sed loca obscuriora vult clarioribus confirmari, ambigua manifestatis; sensum clariorem si sit controuersus ex antecedentibus, consequentibus, dictorum causis, cæteris circumstantijs,

Aug. ib c. 5. & post pass. m.

ſtantijs * Scripturæ phraſi, locis ſimilibus, & analogiâ fidei, cùm ſolet elicere, tum eliciendum cenſet. Ne in libris quidem de Doctrinâ Chriſtianâ, quamuis ex inſtituto regulas nobis tradat interpretandæ Scripturæ, vſquam commemorat Romani Pontificis cenſuram pro Canone, quo ſenſum Verbi Dei certò metiamur.

* *Aug. de doct. Chriſt. lib. 10.*

9 Quid multa? *Theodorus Beza* in præfatione Noui Teſtamenti, quod à ſe conuerſum inſcripſit *Principi Condenſi*, docet luculenter nec Concilia, nec Patres, nec Eccleſiam, nec Traditionem (addo ego, nec Pontificem) aut ſi quid aliud eſt eius generis, eſſe judicem controuerſiarum, quæ mouentur è Verbo Dei; ſed Deum ipſum in Sacris Scripturis, quas ita Spiritus Sanctus temperauit, teſte *Auguſtino*, vt quod alibi dicitur obſcuriùs, alibi clariùs explicetur.

a *De doct. Chriſt.*
b *In Pref. Bil.*
c *Gratian. in Decret Iſaac. in Landanum.*
d *Calun in Antid. Trident. Beza in Ep. 1. ad Ducit.*

10 Atq; hîc magno eſt adjumento (judicio a *Auguſtini*, b *Hieronymi*, c veterum omnium Conciliorum, Patrum, & d recentiorum doctiſſimorum hominum) linguarum beneficium: vt in Nouo Græca,

ca, in Veteri Teſtamento Hebræa exemplaria, ſi quid occurrat aut obſcurum, aut ambiguum, conſulamus. Quod cùm etiam Canonico jure confirmetur, id eſt, autoritate Romani Pontificis, mirarer equidem cur aut tu ſentires ſecùs, aut Concilium Tridentinum ſolam tranſlationem veterem, id eſt, omnium mendaciſſimam probaret, imò, quòd majus eſt, ſolam permitteret; niſi viderem magnam afferri plagam & propè certam perniciem ſuperſtitionibus & hæreſibus Pontificijs, luce linguarum, quam accendit Deus, vt veritas Euangelij magis illuſtraretur, & errores, quos ignorantia ſeuit, extirparentur.

Comment. in Eſai. & interpret. Prophet. Lindan. de Opt. genr. cript. interpret.

11. Nam meritum in operibus; Sacramentum in matrimonio ἀρτολάτρεια in Euchariſtiâ; ſacrificium in Cœnâ Domini; idolatria in ſanctis inuocandis, adorandis imaginibus, cadaueribus, metallis; & alij multi peſtilentes errores è locis Scripturæ perperàm interpretatis nobis emanârunt, qui linguis refloreſcentibus, refulgeſcente veritate, fauente Deo conſident.

12 At, inquis Hebræa ſunt à Iudæis corrupta

corrupta, Latina vetus tranſlatio puriſſima conſeruata eſt. Vtrumque falſum eſt. Nam & veterem tranſlationem eſſe corruptam, ex *Hieronymo*, ſexcentis locis docebo, ſi voles; & Hebræa corrupta eſſe, *Lindani* peruerſiſſimi Papiſtæ calumnia eſt. Nimirùm vidit ille & Patres Tridentini è Græcis & Hebræis errores ſuos refutari; eóque ſolam veterem vulgatam tranſlationem retinentes, eam vt in aliquo labi exiſtimem⁹ nefas haberi volunt. Quod mihi, frater, perſuaderi quoad viuam, nunquam poterit.

13 Piam tuam cohortationem, vt de me ipſo modeſtè ſentiam, & amo & amplector, ſed vt neſciam, quæ ſcio, non videam quæ video; verum putem quod eſſe falſum tam cognoſco, quàm me viuere, etſi mille Concilia Tridentina decernerent, & mille mihi mortes eſſent oppetundæ, facere non poſſem. Intelligo nullam nobis cum Papa futuram pacem, niſi nobis effoderit, non vt *Nahas* Ammonites Galaaditis voluit, dextrum oculum, ſed omne prorſus lumen rationis & intelligentiæ, vt cæci cæcis ducibus in foueam incidamus. 1 Sam. 11. 2.

14 Sed

14 Sed vt *Lindani* potiùs errorem, quàm tuum (quo textum Hæbræum corruptum esse statuit, Latinum puriſſimum) errorem peſtiferum esse intelligas & meritò deteſteris, mitto tibi librum *Iohannis Iſaaci*, qui *Lindani* Præceptor olim, religione Papiſta, quo minùs ſuſpectus tibi esse debet, profeſſor Hebrææ linguæ Coloniæ, refutat errorem illum *Lindani* vt falſum & impium, Hebræamq; veritatem aduerſus eius calumnias defendit. Iam verò ſi Canonem Hebræum cognoſceres, & inuiolatum esse judicares; non ſolùm vt Sacrosanctum eum amplectereris, ſed etiam Apocrypha è Canone reijceres.

Defenſ. verit. Hebrai. Sacr. Scripturæ cont. Lindan.

15 Quanquam quoniam à te reprehendimur, qui Apochrypha pro Canonicis nou agnoſcimns; ſi tibi ſatisfaciat, vt *Hieronymo* ſatisfecit, *quòd non ſunt in Canone Hebræorum*, apud quos ſolos Eccleſia Dei fuit ante Chriſti Paſſionem: ſcito in rebus ipſis esse certa argumenta, quibus conuincatur eorum autorem non esse Sanctum Dei Spiritum, cum alicubi in illis probentur reprobanda, alicubi falſa confirmenter; alicubi

bi indecora; alicubi repugnantia Sacris Literis. In d *Esdra*, Apocrypho recitantur de *Esdra*, quæ Canonico repugnant e *Esdræ*; in f Apocrypho *Daniele*, quæ g *Danieli* Canonico partim fidem derogant, partim imputant quod falsum est; in h *Judith* proponitur crudele facinus *Simeonis* & *Leui* tanquam imitandum, quod in i *Genesi* reprehenditur. In k *Ecclesiastico* dicitur ipsum *Samuelem* à morte vaticinatum; quasi pij possint à Magis excitari, cum in Domino quiescant, & spectrum *Samuelis* tantùm apparuerit. In l *Machabæis* venia petitur à lectore, si minus dignè scripserit (quod quàm indignum Majestate Sancti Spiritus, quis non videt?) & m laudatur parricida, qui sibi violentas sponte manus attulit.

d Esdr. lib. 3.
e 1. Esdr. 7.
f Cant. trium pueror.
g Dan. 3
h Iud. 9.
i Gen. 49.
k Eccl. 46.
l Mac lib. 2. cap. 15.
m Lib. 2. c. 14

16 Cæterum vt ad finem festinet Oratio, varia tibi ipsi, frater, quæris scandala, quò faciliùs impingas, & qui benè currebas, vt loquitur Apostolus, interpellari videris ne obsequaris veritati. Sed vt ille *Galatis*, *Hæc persuasio non est ex eo qui vocat vos*: sic tua, frater persuasio est ex aliquo Pseudo-apostolo, non

Galat. 5.

ex

ex eo qui te vocat, Offendebat *Nathanaelem*, quòd Chriſtus à Nazareth; alios neſcio quos quod eſſet Fabri filius. Abſit vt comparem homines Deo, Chriſtianos Chriſto, ſed nec illi meritò in Chriſto ſunt offenſi; nec tu in quibuſdam Miniſtris Chriſti. Non placet quod *Lutherus* viderur ſtylo ſordidior; dum Papiſtarum forſitan ſordes aperit liberiùs. Ita verum eſt illud *Æſchinis, Sæpè minus feruntur, qui patefaciunt peccata, quam qui committunt.* *Beza* dubitat de quadam Hiſtoriâ, quam *Chryſoſtomus, Nonnus; Theophylactus*, non agnouerunt, & *Euſebius* à *Papia* ſcriptam eſſe ſcripſit. Si tantum ſit facinus, quam multi Patres damnandi? Cum & Eccleſia non agnouerit aliquando vt Canonicum quod poſt agnouit, vt liquet ex a *Hieronymo* & b *Euſebio*. *Iulius* non omnia vera profert è Patribus, ſed eorum interdum ſententijs abutitur: fortaſſe lapſu memoriæ; fortaſſe vitio aliorum; fortaſſe tibi ſecus ac res eſt videtur. Quod tamen ſi faciat, poſſent eſſe vera quæ falſis confirmentur; vt à te ipſo mihi reſponſum eſt de Concilijs Papiſtarum abuten-

Æſchin de cor. contra Cteſiph.

a *Comment. in Eſai. de Epiſt. ad Hebr.* b *Euſeb. Hiſt. Eccleſ. de Iacob. Epiſt. & Apoc.*

abutentibus Scripturæ locis perperàm interpretatis ad errores confirmandos. Quî tam æquus es illis peccantibus in Verbo Dei; tam inîquus es *Iuello*, si fortè in Patribus labatur?

17 Verùm esto: peccârint isti. Ne excusem aut *Lutherum*, aut *Bezam*, aut *Iuellum*; nec enim eos esse Deos arbitramur; sed præstantes quidem tamen homines agnoscimus. Quid si cum istis conteram partim ineptias, partim impietates non omnium Scholasticorum, quorum varias insulsitates ne *Hardingus* quidem excusat; sed *Aquinatis* & *Bonauenturæ*, qui in numerum Deorum (vt de *S. Francisco* loquitur *P. Bembus*) sunt ab Ecclesiâ Romanâ relati. Num satis esse in eo ponderis, judicabis, cur Papistarũ religionẽ detesteris? Vtinam quidem faceres! Audires monstra, *In Hist. Venet.*

18 Sed dices errorum hominum vitia non ascribenda Ecclesiæ. Quin idem igitur de nobis judicas? An cum *Donatistis* propter *Cæciliani* vitam Ecclesiam deserendum arbitraberis?

19 At non est nostra Ecclesia, quoni-

quoniam è Romanâ exijt Ecclesiâ: hæresis autem exit ex Ecclesiâ, sic enim disputabas. Hæresis exit ex Ecclesiâ. Verum est. Sed nunquámne, quæso, tandê exit Ecclesia ex hæresi? Cur igitur è Babilone pij jubentur egredi? Cur exijt *Elias* ex Ecclesiâ Baalitarum? Cur *Paulus* è Pharisæorum Synagogâ est egressus? Cur exiêrunt Christiani è Hierosolymis? Cur Catholici Constantinopoli, tempore *Chrysostomi*, aut non multò secus, cum hæretici Arriani Basilicas occuparent, ex illis exiêrunt? Num quia manifestum est hæresin exire solitam ex Ecclesiâ, idcircò sanctos *Eliam*, *Paulum*, Christianos, Catholicos, vel in hæresi, vel in schismate fuisse judicabimus? *Lot* exijt è Sodomis, *Abraham* cum familiâ ex Vre Chaldæorum, *Isaac Iacob*, eorum posteri, ex Idololatriâ finitimarum gentium. Non semper hæresis exit ex Ecclesiâ, aliquando manet hæresis, Ecclesia exire cogitur. Nam quòd Hæretici vocamur & Schismatici, non laboramus. Hæretici falsis dogmatibus synceritatem corrumpunt fidei: Schismatici etiam nonnunquam in fidei similitudine

socie-

societatis dirumpunt vinculum, si neutrum facimus, & falsò dicemur, calumnijs premimur, libenter ferimus. Quoties quidem vnitas Ecclesiastica commendatur, id quæritur vt dum mentes in Christo consentiant, voluntates etiam nostræ mutuâ in Christo beneuolentiâ sint inter se coniunctæ. Nam conjunctio charitatis à fidei pendet vnitate, ideóque *Paulus* ad illam hortans fundamentum ab istâ sumit, *Vnus Dominus, vna fides.* Quare cum duobus vinculis contineatur Ecclesiæ communio, doctrinæ sanæ consensu & fraternâ charitate, si coleremus vnitatem cum Papistis, & communicandum eorum Sacris quasi synceris & judicium quasi piorum, reuerendum nobis esset. Quorum quia neutrum facere cum neutrũ facere nobis licet si cum Christo capite jungi velimus, in istâ sumus *Hæresi*, (ita loquor cum Apostolo) vt vnitatem cum Papistis colere nequeamus. Act. 24.

20 Dicebas, vnum caput Ecclesiæ constituendum, Romanum Pontificem, vt vnitatis vinculum faciliùs teneatur. Agnosco Christum, Romanum Pontificem non agnos-

agnoſco. Atqui *Gregorius* aſſumpſit ſibi curam omnium Eccleſiarum. Ex ejus Epiſtolis id apparere fateor, quas tuo monitu conſului. Sed veriſſimè dictum eſt à Iuriſconſulto, *Non quid Romæ fiat, ſed quid Romæ fieri debeat, eſſe ſpectandum. Innocentius* Pontifex *Arcadium Cæſarem* à communione Eccleſiæ reijcit. Quem locum è Nicephoro, Centuriâ quintâ, Capite ſexto, decerptum legi. Cæterùm vt hoc exemplum legendum mihi proponebas, quo prærogatiua quædam *Innocentij* videtur demonſtrari: ita velim viciſſim à te conſiderari quod eadem Centuriâ, Capite ſeptimo, docetur, quàm iniquis rationibus & ambitioſis idem *Innocentius* cum cæteris Romanis ejus ſeculi Pontificibus, ſibi primatum primò vendicârit. Ac vt *Gregorio*, & *Innocentio*, & ſimul omnibus ſatisfaciam, quibus ad Romanum Pontificatum extruendum tanquam aditu Gigantum ad cœlum, vti potes; quomodo ſenſim Romanus Pontifex cæteris ſe prætulerit, & alienas prouincias in ſe tranſtulerit, quoad vniuerſalis Epiſcopi non modò munus, ſed nomen etiam

Digeſt. lib. 1.

Hiſt. Mag. cent. 5. c. 6.

etiam (quod priùs explosum erat ab ipso vt profanum) vsurpârit sibi; primis septem Centurijs, septimo cujusque capite, certissimis historijs è scriptis veterum & recentium dilucidissimè scis doceri. Quod quàm iniquis artibus sint moliti, si nullum argumentum aliud occurreret, vel Epistolæ Decretales illæ conuincerent, quas primis Romanis Episcopis & Martyribus absurdissimè affingunt. Quarum defensionem à nescio quo scriptam, quia me legisse negas, nec audiuisse defensas fateor: narra, quæso, quis defenderit, vt eum comparem ac legam; si docuerit quod promittis, meliùs sentiam de Papistis, & in maximum errorem me veniisse non negabo.

21 Relinquitur explicandum (quod maximè te mouebat) si nec Romanus Pontifex caput Ecclesiæ nec Ecclesia Papistarũ Ecclesia vera, censeri debeat, vbi tot seculis igitur Ecclesia quam ad finem duraturam Christus promisit? Respondeat Augustinus *Eliæ* proferens exemplum, qui putabat se solum ex omnibus Dei seruis in Israel esse reliquum; sed ei dictum est à Domino, *Reliqui mihi*

Aug. de Vnit. Eccles. cap. 12.

bi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua coram Baal. Reliquit sibi Dominus sua septem millia; & eo ipso tempore, quo tu Frater neminem fuisse reliquum putâsses.

22 At Ecclesia in monte est posita vt videatur. Idem obijcit Augustinus, & ipse statim subijcit, Ecclesia temporales aliquando etiam in suis frumentis patitur tempestates, vt in quibusdam locis non cognoscantur; sed tamen illic latent. De quo differens vberiùs in Epistolâ quam scribit ad *Vincentium* Donatistam; Ecclesia est, inquit, quæ aliquando obscuratur, & tanquam obnubilatur multitudine scandalorum; aliquando tribulationum & tentationum fluctibus operitur atque turbatur. Cum Arriani per vniuersum terrarum orbem diffunderentur; Ecclesiam inter eos latuisse non est dubium. Pauci quidem firmissimi vel exulabant pro fide, vel domi latitabant, inquit Augustinus. Quo mihi videtur spectâsse *Beza*, cum respondet ad *Duditium*; *Etsi Papatus non sit Ecclesia, voluisse Deum in Papatu seruare Ecclesiam.* Quam ad Epistolam, quia finis faciendus est

Ibi. c. 10.

Aug. ep. 48.

Beza ep. 1. ad Dudit.

est sine te remittam, vt ibi cætera, quæ te offendunt, disceptata videas; de contentionibus & dissidijs in Ecclesiâ, de consensu Doctorum, de successione Pontificum, de vnitate Spiritus, de præsidijs Papistarum, & quod est caput, de Scripturæ judicio rebus in omnibus, tanquam Cynosura, nobis respiciendo. Quæ si voles, etiam ipsa copiosiùs (& vt velis, quæso) leges à *Caluino* tractata in opusculo, quod inscripsit de *Scandalis*, quibus hodiè plerique absterrentur, nonnulli etiam alienantur à purâ Euangelij doctrinâ. *Caluin. de Scandal.*

23 Concedat nobis Dominus, vt Spiritum vnitatis in ivnculo pacis ita colamus, quemadmodum *Paulus*, qui detestans pseudo-apostolos, Spiritum vnitatis in vnitate fidei, cum Christo, Christianis colendum esse docuit; quò præoptemus è Synagogis eijci, (quod suis euenturum Christus prædixit) quàm vt illis coniungamur vnitatis vinculo, qui vinculo vnitatis Christo non coniunguntur. Deus suum Spiritum in te renouet, vt in *Dauide*, &, vt *Petrum*, infirmitate lapsum respiciat, confirmet vacillantem,

fluctuantem ſtabilitat, diſcutiat caliginem qnæ præſtrinxit tuos oculos; vt, quod dicit Angelus Eccleſiæ Epheſinæ, *Memor ſis vnde excideris, & reſipiſcas, & priora opera facias.*

Vale *Oxoniæ* 4. Non. Septemb.

Tui in Chriſto frater amantiſſimus,

Ioh. Rainoldus.

D.

D. IOHANNES RAINOLDVS,

D. GVLIELMO WHITAKERO, Salutem in *Christo Iesu.*

EAcit amor tuus humanissime WHITAKERE, vt ea χαρίσματα, quæ mihi Dominus tribuit, majora quàm sunt. esse arbitreris. Sed quantulacunq; sunt, faxit Deus vt in ipsius gloriam redundent, è cujus gratiâ manârunt. Laborem eum, quem mihi te libenter impositurum significas, neque tamen nisi volenti; vellem tam commodè possem suscipere, quàm tuâ causâ cupio. Sed magni interest (si quid ego judico) ad ædificationem Ecclesiæ, & tuam existimationem, vt eum ipse

excipias, nec cuiquam deleges alteri. Quod vt facias, eò mihi magis es hortandus, vel orandus etiam; quia, cum essemus vnà Londini, facturum indicâsti; idque ego fretus tuo promisso. si tamen ita vocandum est, sed verbis tuis fretus compluribus narraui. Quare, si possis per occupationes, vehementer velim expectationi, quam fecisti, satisfacias. Nec est, quod te reserues Iesuitico nugatori. Nam & in diem est, quod ille minitatur: & hoc, quod ego potiùs suadeo, jam vrget; & haud scio, an magis instet periculum ab ijs, qui nos vernaculis petunt telis, quàm qui Latinis, quum & plures ferè lectores inueniant, & imperitiores. *Possevinus* quem perstringere voluerit, facile cognitu est ex Anglis Mercatoribus, qui *Londini* Moscouiam: ego te putabam ex operis argumento. Sed etsi quem alium; tamen quia videbam eum opportunè posse profligari, tanquam in transcursu, ignoscas si tuum de nouo quoque hoste triumphum desideraui. Cæterùm de eo & cæteris, vt videbitur, Habes, quid ego sentiam:

quod

quod, licèt dissentias, tamen boni consules. Concedat Dominus, vt id agas, quad maximè faciet ad ipsius gloriam, & Ecclesiæ salutem.

Vale, Frater charissime,

Oxon. 14. *Kalend. Novemb.*

Tuus in CHRISTO IESV,

Ioh. Rainoldus.

SERENISSIMÆ, Potentissimæque Principi ELIZABETHÆ, *Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginæ.*

QVod olim *Varius Geminus*, referente *Seneca*, dixit apud *Cæsarem*, *Cæsar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant, qui non audent, humanitatem*; id mihi Majestatem Tuam, Serenissima Regina, alloquuro, non tam ex alterâ parte metum incutit, quàm fiduciam auget experto ex alterâ. Itaque exemplar inchoati operis, *De Romanæ Ecclesiæ Idololatriâ*, vulgare quidem pignus, sed minimè vulgaris obseruantiæ animi erga Te gratissimi, vt eo, quo tuorum omnis consueuisti, candore excipias, suppliciſſimè rogo. Nec dubito quin sis factura, tum argumenti causâ, quo Religionis Ortho-

doxæ puritas aduersus corruptelas, calumniasque propugnatur; tùm eius cui dicatum est, quem in summo pretio meritissimò habes; tùm Autoris, Tibi ob Beneficia multa, singulariáque longè deuinctissimi. Sed quia mihi videor in ipso Te affari opere, in quo & mentio Tui quandóque nominatim necessariò facta est, & Tuum nunquam satis laudatum beneficium in reformandâ Religione solùm defenditur, Majestatem Tuam haud quaquam hîc morabor præfatione longiori.

Viue *Parens Patriæ*; Tibi *Plebs*,
Tibi *Curia* nomen
Hoc dedit, hoc meritò dat
Tibi nomen *Eques*.

Iul. vij. M. D. XCVI.

PLV-

PLVTARCHI CHÆRONENSIS:

LIB. II.

I. *De vtilitate ex hostibus capiendâ.*

II. *De morbis animi & corporis.*

D. IOHANNE RAINOLDO Interprete.

LONDINI,
Excudebat Guil. Stansbeius.
1628.

D. ELIZABETHÆ Sereniſſimæ Angliæ, Franciæ, Hiberniæ Reginæ, *propugnatrici fidei, Parenti patriæ.*

IOHAN. RAINOLDVS.

GRates perſoluere dignas Non opis eſt noſtræ, Dido. Liceat enim mihi, Nobiliſſima Regina, tuam Maieſtatem iiſdem verſibus affari, quibus *Æneas* afflictus diſpari calamitate, affectus ſimili munificentiâ Reginam *Carthaginis* appellauit. Agitur enim annus jam octauus, ex quo cum ego tibi tuam *Oxonienſem* Academiam inuiſenti, paucis carminibus omnia ſecundiſſima precatus eſſem; nauſragium mearum fortunarum Regali beneficentiâ ſubleuâſti, non vt *Cherilo Alexander* pro ſingulis verſibus non ineptis, ſed pro paucis ineptiſſimis nummos aureos elargita. Quod ampliſſimum beneficium, ne

in

in hominem ingratum collocâſſe videreris, cogitanti mihi quo modo gratum animum teſtificari poſſem; venit in mentem, operæ fore pretium, ſi monumentum aliquod doctrinæ, græcis è literis deriuatum, in latinas, quibus vtriuſque, vt alijs diſciplinis, diuinitùs es inſtructa, tuo nomini conſecrarem. Nullum autem occurrit, aut breuirate aptius, vt ad *Reginam*, aut vſu commodius, vt ad *Chriſtianam*, aut ſententiâ grauius, vt ad doctiſſimam mittendum; quàm hoc *Plutarchi*, verbis aſtrictum, rebus ornatum, ſenſis eximium, *Quomodo capiatur ab inimicis vtilitas*. Nam ſiue ſpectes eum à quo ſcribitur, quis potiùs ad optimam Principem mittendus, quàm *Traiani* Principis Optimi præceptor? ſiue perpendas rem de quâ ſcribitur, quid tuæ Majeſtati meditandum accuratiùs, cui virtus creat æmulos, poteſtas inuidos, Religio inimicos? ſiue reſpicias eum cui ſcribitur, quod *Pulchro Cornelio* fuit jucundiſſimum, poteſtne diſplicere *Corneliæ Pulchræ*? ignoſce, *Regina!* iniuriam tibi facio, quam ſic appello; quum præſertim quod ſolis

lis *Gracchis Cornelia*, id ipsa nobis sis vniuersis; virtute *Cornelia*, charitate *parens patriæ*; & pulchra corpore, pulchrior animo, vtroq; pulcherrima, Romanorum *Pulchris* inuras notam. Nam etsi non libenter ad tuam Majestatem de teipsâ scribo quæ non vt *Themistocles*, audire laudes proprias suauissimum putas, cum tacere laudanda, quàm audire laudata malis; tamen quoniam, vt inquit *Pindarus*, mutus sit oportet, qui non laudârit *Herculem*, dabis mihi veniam, *Clementissima Princeps*, vt ea perstringam, pro quibus in dies singulos, nobis gaudemus, Reipub. gratulamur, Deo gratiam quantam maximam possumus, habemus. Quis Romanorum Cæsarum *Augusto* felicior? Quem quidem gloriari solitum accepimus, se Romanam vrbem accepisse lateritiam, reliquisse marmoream. Quantò nos amplius Tuæ Majestati deuincti sumus, quæ non Romam, sed regnum, non vnam vrbem, sed vniuersam Angliam accepisti plumbeam, auream effecisti. Cùm Reipub. gubernacula Tibi traderentur, implicabamur bello, pacem attulisti; premeban-

mebamur ab exteris, patriam liberâsti; præsidijs egebamus, Angliam muniuisti, non omni solùm armorum genere, sed etiam ligneis muris *Themistoclis*; quibus ille Græciam olim à Persis, tu à cunctis hostibus Angliam defendis. Nummos æreos in aureos, stanneos in argenteos purissimos commutâsti: Rempub. ciuibus, exulibus patriam, oppressis solatium, captiuis libertatem dulcissimam reddidisti, & (vt omittam omnia, quæ quidem sunt maxima, sed præ hoc vno minima) religionis argentum, quod erat à Papistis versum in scoriam (quemadmodum de *Iudæis* queritur *Esaias*) puritate verbi Dei tanquam igne purgâsti. Diuinum adolescentulum, ætate puerum, prudentiâ senem, pierate *Edoardum* (quid enim dicam majus?) fratrem tuum imitata, Christianam fidem propagâsti, Pontificias fæces ejeciſti, Ecclesiam à superstitione, Rempub. à barbarie, Academias à vastitate, disciplinas ab interitu, templum à sordibus, sanctos ab ignibus, populum à seruitute Babylonicâ vindicâsti. Sed ista in tuos. Quid dicam de exteris? Ac vt omittam

mittam reliquos, qnid de *Gallis* ſolis? Quos Chriſti cauſam contra Satanam agentes, auxilio ſubleuâſti pugnantes, hoſpitio profugos excepiſti; quorum alterum ipſorum celebratur hiſtorijs; alterum experientiâ quotidiè demoſtratur. Videmus enim, cum dolore quidem, veruntamen videmus exules Chriſtianos, & propter Chriſtum calamitoſos, è *Gallici Neronis* cædibus elapſos Romani Cerberi latratu diſſipatos, in tuum, *Auguſtiſſima Regina*, regnum, quaſi portum è fluctu, ſtationem è tempeſtate, ſe recipere. Senſiſti, quid ſit affligi; ſuſtentas, quos vides premi. *Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſcis.* Quis igitur tuas laudes virtute tam inſignes, ſplendore tam illuſtres, amplitudine tam immenſas, ſatis magnificis preconijs decorabit? Quæ poſteritas tam ingrata, de tuis rebus geſtis vnquam conticeſcet? Quis à Muſis tam alienos, qui non intelligit, te ſolam, & fœminam omnia præſtitiſſe, quæ multi, & viri, ſingula cum attigiſſent, æternam meritò famam ſunt adepti. Magnum profectò fuit *Ezechiæ* religionem collapſam inſtaurâſſe; *Mecœnati* diſ-

disciplinas afflictas aluisse; *Themistocli* defendisse patriam vastatam; *Augusto* Iani portas ferreas occlusisse. Magnum non inficior: sed commune cum optimis. Verùm hæc omnia studio complecti, fouere pietatem, fauere literatis, hospes comprimere, ciues tueri vsq; adeò, vt religionem, *Ezechia* purius, instaures; doctrinas, *Mecœnate* liberalius, exornes; imperium, *Themistocle* tutius propugnes; pacem, *Augusto* tranquillius conserues: ista tot laudibus amplificata quæ facias, *Elizabethæ* propria, non cum multis communia, non summis viris comparanda, sed optimis Regibus præponenda, & magis miranda quia regno dignissima, quàm quia Regina, mihi meritò videris. Nam priuatas quidem laudes, in victu continentiam, in vitâ pudicitiam, in verbis sactimoniam, magnanimitatem in rebus aduersis, in rebus secundis moderationem; quoniam à majoribus, quorum fructus ad omnes magis manat, quàm teipsam, tanquam astra luce solis obruuntur, idcirco silentio libens inuoluam, ne dicendo, vel potius non dicendo diminuam. Tantum, vt concludam, à

Deo

DEO præpotenti tuæ Majestati comprecabor. nonquod Romani suis Cæsaribus optari sunt soliti, vt sis *Traiano* melior, *Augusto* felicior sed vt esse pergas, Quorũ alterũ euenturũ Tuæ Regiæ virtutes cogũt; vt persuadear; alterum eueniſſe immensa Dei bonitas faciat, vt lætemur.

Christus Opt. Max. tuam Majestatem Tibi nobis Eccle siæ. Reipub. sibi ipsi diutissimè incolumem conseruet.

Oxon. è Coll. Corp. Christi.

PLV-

PLVTARCHI LIBELLVS, QVO MODO EX INIMICIS PROFICIATVR *vtilitas*;

Interprete *D. Iohanne Rainoldo.*

VIdeo quidē, *Corneli Pulcher*, te, cùm placidissimum institutum vitæ, semotū à negotijs publicis persequaris; in eo tamen maximum afferre fructum reipub. dum eos summâ morum suauitate, qui tecum agunt, priuatim excipis. Quoniam autem Regio, quæ vacet feris animantibus (cuiusmodi *Cretam* esse commemorant) reperiri potest; respub. verò quæ nec inuidiam, nec æmulationem, nec contendendi tulerit Libidinem, quibus ex affectibus erumpunt inimicitiæ; nusquam adhuc

huc extitit: imò, si nihil aliud, ipsæ saltem amicitiæ inimicitijs nos implicant; (quod *Chilo* sapiens cùm intelligeret, quendam dicentem se non habere inimicum, rogauit, an ne amicum quidem haberet;) cùm alia mihi videntur, de inimicis, homini in gubernandâ repub. occupato, meditata penitùs esse oportere; tum illud imprimis quod dixit *Xenophõ*, *Esse hominis prudentis etiam ab inimicis vtilitatem capere.* Quare, quæ nuper in mentem mihi venit, eâ de re differere statui; ac totidem verbis ad te conscripta misi; cauens quantũ potui, ne attingerem, quæ priùs in ciuilibus præceptis scripsi, quoniam & illa tibi frequenter in manibus esse video.

Satis habebant mortales illi prisci, si à diuersi generis animantibus non læderentur; & hic erat illis finis certaminum contra feras susceptorum. Verùm posteri, cùm illis quemadmodũ vti possint, jam didicerint, non modò non læduntur, sed juuantur etiam, dum carnibus nutriuntur, & pilis vestiuntur, & felle ac coagulo à morbis liberantur, & armentur pellibus; vt meritò sit metuendum, ne si feris

feris homo deficiatur, ferina, & inops, & agrestis ei vita relinquatur.

Quoniam ergo satis est alijs nullum ab injmicis accipere damnum; prudentes autem affirmat *Xenophon* etiam ab inimicis percipere fructū; non est fides illi deroganda, sed via potiùs nobis inquirenda, quâ commoditatem istam obtineant, qui sine inimico viuere non possunt. Non potest Agricola quamuis arborem mitem facere; neq; Venator quamuis bestiam cicurare; quæsiti sunt igitur vsus alij, quibus ille ab infrugiferis, hic à feris juuaretur. Aqua Maris ad potum nec opportuna, & ingrata est; veruntamen alit pisces, & homines quocunq; commodè transmittit, & rebus deportandis vtiliter inseruit. Cùm *Satyrus* ignem, vbi primùm apparuit, osculis & amplexibus excepturus esset, tum *Prometheus, Hirce*, inquit, *nisi caues, dolebit tibi mentum.* Ignis, si tangas, vrit, Ac lucem præbet, & calorem; & omnium artium, ijs qui sciunt vti, est instrumentum. Velim itaq; consideres etiam inimicum: an, qui cæteroqui noxius existit & difficilis tractatu, attingi tamen quoquo modo

modo ac aliquem vsum sui præbere possit. Sunt quidem res permultæ ineptæ ad vsum, & infestæ, & aduersariæ illis quibus accidunt. Et tamen vides quosdam morbis corporis ad tranquillitatem fruendam vsos esse; multos objectos laboribus, valitudinem exercitatione firmiorem reddidisse. Nonnulli verò cùm exilium, tùm inopiam fecerunt adminiculum, & otij, & Philosophiæ; vt *Diogenes* & *Crates*. Nam *Zeno* cum nauem suam confractam accepisset, *Benè facis*, inquit, *fortuna, quæ nos ad pallium contritum adigis*. Vt enim animalia quæ sunt stomachis firmissimis, & corporibus saluberrimis, serpentes & scorpios edunt & concoquunt, quædam etiam lapidibus, atq; testis nutriuntur, quas propter spirituum vehementiam & calorem in alimentum mutant, quum interim infirmi, & valetudinarij panem & vinũ accipientes fastidiant; sic insipientes vel amicicias corrumpunt, prudentes & inimicitijs eleganter vti possunt. Ac primum quidem, videtur mihi, quo nihil habent inimicitiæ magis noxium, id, si animum aduerterimus, vtilissimum fururum.

Quid

Quid illud tandem est? Inimicus semper vigilans, tanquam ex insidijs obseruat quid agas; & ansam quærens perlustrat vndiq; vitam tuam, non modò quercum obtuitu penetrans, aut lapides & testas, quasi *Lynceus*; uerùm etiam amicum, & famulum, & quemuis familiarem; vt deprehendat, quod potest, tua facta, & consilia perfodiat ac perscrutetur. Nam amici sæpenumerò nobis inscijs, dum cunctamur, dum negligimus, & morbo languent, & mortem obeunt; inimicorum autem etiam ipsa propemodùm somnia curiosè perquirimus. Morbi verò, & æs alienum, & dissidia cum vxoribus, ipsos potiùs quos premunt quàm inimicum latuerint; quanquam in primis peccatis imminet, eáq; persequitur. Et quemadmodum Vultures ad cadauerum odores aduolant, sincéra & sana corpora non sentiunt; sic infirmis vitæ partibus & vitiosis, & affectis commouetur inimicus; in eas prosiliunt qui nos oderunt, eas contrectant, atq; adeò conerpunt. Hoc igitur commodum ad te redundat, quòd circumspectè viuendum est tibiq; ipsi ipsi attendendum, &

neque

neque faciendum quicquam negligenter, & incautè, nec dicendum; sed conseruandi semper, tanquam in accuratâ victus ratione, mores incorrupti quos nemo meritò reprehendat. Ejusmodi namq; cautio, quæ comprimit affectus animi, & animum in se colligit, studium & propositum vitam inculpatam ac integram agendi nobis ingenerat. Quemadmodum enim ciuitates, quæ castigantur finitimis bellis, & assiduis expeditionibus præclaram legum institutionem & sanam Reipub. gubernationem impensiùs amplectuntur; sic qui coguntur inimicitijs, vt sobriam in vitâ colant vigilantiam, socordiam fugiant, negligentiam caueant, opportunè cuncta faciant, sensim, nec sentientes consuetudine consequuntur, vt non delinquant, & mores componant; si quidem â ratione paululum adjuuentur. Quibus enim illud,

Hom. Il. *Lætetur certè Priamus, Priamoq; creati,*

semper in promptu est; eos ab ejusmodi rebus auertit, atq; abducit, quæ lætitiam, & risum inimicis concilient. Et quidem videmus histrione

in ludis Bacchanalibus canentes, remissos, & languidos, nec accuratè sæpè, cum soli sunt in theatris certantes; quando verò cum alijs certatur, & contenditur, non seipsos solùm sed etiam instrumenta magis vndequaq; versant, fidibus diligendis, & aptiùs concinnandis, & dulciùs feriendis admodùm intenti. Ita qui nouit se habere inimicum, vitæ & famæ æmulum, sibi magis attendit, & facta circumspicit, & vitam componit; Cum præsertim hoc etiam sit proprium improbitatis, vt in ijs quæ peccamus, magis inimicos reuereamur, quàm amicos. Itaque *Nasica*, cùm quidam existimarent & dicerent, in turo res Romanas esse collocatas, Carthaginensibus euersis bello, redactis sub jugũ Græcis, *Imò verò, nunc*, inquit, *in periculo sumus, cùm nec quos timeamus, nec quos reuereamur, nobis reliquerimus.* Eôdem accedat *Diogenis* sententia, digna Philosopho, & apta Reipub. *Quemadmodum vlciscar inimicum? Si bonus ipse fueris.* Homines vbi vident inimicorum Equos insignes, Canes laudatos, cruciantur; si fundum excultũ aspexerint, florentem hortum,

ingemiscunt. Quid igitur eos facturos arbitraris, si teipsum ostenderis virum justum, prudentem, probum, verbis admirandum, factis incorruptum, victu moderatum;

Fructus ab alta mente capientem solo.

Ex quo sacrata consilia progerminant?

Qui vincuntur, inquit *Pindarus*, silentio vinciuntur, vt loqui non audeant; non simpliciter neq; cuncti; sed qui seipsos victos vident ab inimicis, diligentiâ, probitate, magnanimitate, humanitate, beneficentiâ. Ista linguam auertunt, vt inquit *Demosthenes*, os obturant, hominem suffocant, silentium inducunt.

Ergo antecelle tu malis; si quidem potes.

Inimicum si vis angere, ne appella per contumeliam, impudicum aut mollem, aut intemperantem, aut scurram, aut sordidum; sed teipsum virum præbe, temperantiam cole, veritatem amplectere, comitatem, & æquitatem in eos qui tecum habent consuetudinem, exerce. Quòd si conuitijs insequi cogaris, cura vt ipse quàm maximè sis remotus ab ijs

quæ

quæ illi obijcis. In tuum ipſius animum deſcende; conſidera ſi qua ſint illic ruinoſa; ne quis alicunde, contra te, maledicus, ſecum immurmuret illud Tragici, *Alijs medetur ipſum vlceribus ſcatens.* Si te dixerit ineruditum, intende ſtudij neruos & induſtriæ; ſi timidum, excita confidentiam magis & fortitudinem; ſi petulantem & incontinentem, dele ex animo ſi quod libidinis latet veſtigium. Nihil enim turpius, nihil acerbius maledicto quod recidit in autorem. Verùm videtur & luminis repercuſſus infirmos oculos offendere grauiùs, & reprehenſiones, quas veritas retorquet in ipſos qui reprehenderint. Nam vt *Cæcias* ventus, nubes, ſic improba vita trahit ad ſe conuitia. Itaque *Plato*, ſi quando incidiſſet in homines parùm decorè ſe gerentes, abiens apud ſe dicere ſolebat; *Num ego talis vſpiam?* Qui porrò maledictis alterius vitam vexat, ſi ſuam è veſtigio conſideret, & componat, vt eam in contrarium conformet, & corrigat: è conuitijs jaciendis, quod ipſum aliquoqui & inutile & inane cùm eſt, tùm videtur, percipiet aliquam vti-

litatem. Ridetur quidem vulgo, si quis existens ipse caluus aut curuus, in alijs ista petulanter irrideat. Quin imò prorsus est ridiculum in alium dicta & conuitia ab eo dici, qui quocunque conuitio vicissim possit excipi. Vt *Leo Byzantinus*, quum infirmitas oculorum ei obijceretur ab homine gibboso; *Humanum* inquit, *infortunium exprobras, cùm ipse diuinæ vltionis notam in tergo geras.* Quamobrem nec obijcias adulterium, si flagres ipse væsanâ libidine; nec prodigalitatem, si auaritiæ sordibus ipse polluaris. ---*Mulier tibi cognata iugulauit virum,*--- inquit *Alcmæon Adrasto.* Quid tum ille? non alienum, sed suum ipsi probrum proferens, *At tu necâsti propriâ matrem manu.* Domitius Crasso, *Nonne tu, inquit, murænâ, quam in vinario nutriebas, mortuâ, lamentis eiulâsti?* Cui Crassus, *Num tu cùm tres vxores ad funus extulisses, lachrymam fudisti?* Nan est opus, acutum esse, qui sit in alios conuitia jacturus, & clamosum, & procacem; sed talem, cui nullum meritò conuitium, & crimen impingatur. Nec enim cuiquam perinde videtur Deus præcipere

præcipere, *Nosce teipsum*; ac ei qui sit alium reprehensurus, ne si dicant quæ velint, audiant quæ nolint. Nam qui talis est, solet, secundum illud *Sophoclis*,

—temerè quando linguam soluerit,
Audire nolens verba, quæ volens habuit.

Atque hanc vtilitatem poterit excerpere, si quis afficiat conuitijs inimicum, cui par est illa quæ potest percipi, si quis afficiatur conuitijs ab inimico. Vnde præclarè dixit *Antisthenes*, ijs qui seruari velint, opus esse vel amicis ingenuis, vel ardentibus inimicis; quòd illi monendo, hi conuitiando à peccatis abstrahant. Quoniam autem, vt nunc sunt tempora, amicitiæ lingua balba est in liberè loquendo, loquax in assentando, muta in admonendo, veritas ab inimicis audienda est. Vt enim *Telephus* cùm medicum amicum consequi non posset, sub hostilem hastam vulnus subiecit; sic qui beneuolum non habent monitorem, sermonem inimici sustineant, oportet, siquidem improbitatem, coarguat & castiget. In quo rem ipsam, non animum conuiciantis spectare

debent. Nam quemadmodum, qui *Theſſalum Prometheum* trucidare voluit, percuſſit gladio tuber, itáque diſſecuit, vt homo dirupto tubere ſeruaretur; ſic vſu venit ſæpenumerò, vt conuitium ex iracundiâ, vel inimicitiâ prorumpens, animi morbum aut ignoratum, aut neglectum medicina ſanet. Atqui permulti conuitio perſtricti, non expendunt num inſit in ipſis id quod obijcitur; ſed ecquid aliud inſit id eo qui conuitio perſtrinxit, & more luctantium probra quaſi puluerem non abſtergunt ipſi ſibi, ſed aſpergunt alter alteri, deinceps in certamen ſe committentes alter ab altero fœdantur, & oblinuntur. Verùm oportet eum, qui maledictis configitur ab inimico, eximere ſibi ipſi quod inhæret, multò magis quàm maculam inhærentem veſti, ſi demonſtretur. Quòd ſi quis obijciat, quæ non inhærent, quærenda tamen cauſa eſt, è quâ conuitium exortum eſt; tum cauendum atque metuendum, ne peccatum aliquod ei vel affine vel ſimile quod obijcitur per imprudentiam admittamus. Quo modo *Lacydes* Rex Argiuorum, propter comam

compo-

compositam & incessum delicatum, tanquam effœminatus malè audiebat. Idem accidit *Pompeio*, quòd vno digito caput scalperet, cùm ab animi mollitiâ atq; lasciuiâ quàm longissimè abesset. *Crassus* autem notatus est infamiâ stupri cum quadam virgine *Vestali*, quia cum prædium quoddam eximium ipsius vellet emere, propterea sæpiùs eam conueniebat priuatim, & colebat. Iam verò *Posthumiæ*, quòd in risum nonnunquam solueretur effusiùs, & verba cum viris faceret liberiùs, ea inusta est infamia, vt incestius accusaretur. Et quanquam immunis à crimine comperta est, tamen *Spurius Minucius* Pontifex Maximus cùm eam absolueret; admonuit ne verbis minùs quàm vitâ verecuudiæ studeret. Quid quod *Themistocli* nihil delinquenti suspitio proditionis à *Pausania* contracta est, quòd tanquam amico familiariter vteretur, literasque ac nuntios continenter ad eum mitteret. Si quando quid igitur in te dicatur falsò, non quia falsum est, idcircò contemnendum est, ac negligendum, sed expendendum, quidnam in tuis aut dictis,

aut factis, aut consilijs, aut familiaribus, calumniæ suspicionem excitârit; idq; diligenter est cauendum, & vitandum. Etenim si alij rebus quæ præter voluntatem ipsis accidunt, docentur quid expediat; quomodo loquitur *Merope*,

Fortuna tollens res mihi charissimas
Mercede docuit me graui sapientiâ.

Quid vetat ab inimico, quasi gratuito quodam præceptore, juuari, quæ nos deficiunt, & discere quæ nos prætereunt. Nam inimicus multa senti citiùs amico; quoniam quod amat, in re amatâ cæcum est, vt inquit *Plato*. In odio verò non solum curiositas, sed etiam loquacitas inest. Cùm *Hieroni* quidam inimicus grauem odorem oris exprobrâsset, domum reuersus ad vxorem, Quid hoc est, inquit? Ne tu quidem id mihi indicâsti? At illa mulier, modesta & simplex, *Putabam*, inquit, *eodem modo viris omnibus os olere*. Ita quæ sensui sunt subiecta, quæ insunt corpori, quæ patent omnibus; ab inimicis & maleuolis, quàm amicis, & necessarijs citiùs cognoscas. Præterea cùm virtutis pars sit non minima, linguam continere,

tinere, vt rationi pareat ſemper & obtemperet; id nunquam conſequêris, niſi peſſimos affectus, qualis eſt iracundia exercitatione, & meditatione, & ſedulitate priùs debellaueris. Nam vox inuito nonnunquam excidens; & illud

---dictum tibi fugit ab ore;

& illud --*verba quædam vltrò euolare*; præcipuè contingit animis inexcitatis quaſi labentibus ac perfluentibus, ob animi infirmitatem & mentis impotentiam, & petulantem vitæ rationem, Sermoni porrò, leuiſſimæ rei, grauiſſima pœna (juxta diuini *Platonis* ſententiam) à Deo & hominibus infligi ſolet. Contra ſilentium, ab accuſatoribus vbique tutum, non modò ſitim non infert, vt ait *Hippocrates*, ſed etiam in conuitijs, auguſtum eſt *Socraticum*, vel *Herculeum* potiùs, Siquidem & illum,

Non magis ac Muſcam conuitia tetra mouebant.

Nihil eſt profectò vel illuſtrius vel præclarius, quàm vt ab inimico conuitijs laceſſitus, quietem agas; hominem maledicendi ſtudio elatum, tanquam ſcopulum fluxibus

attritum natando præteruectus. Sed major est exercitatio, Nam si conuitiantem inimicum ferre tacitus assuescas, perfacilè feres iram vxoris maledicentis; & acerbiores vel amici vel fratris voces tranquillo animo sustinebis. Aduersus verò patrem & matrem etiamsi te percutiant, iracundiâ non commoueberis. Nam *Socrates Xantippam* fœminam iracundam ferebat & morosam, tanquam si illam ferre consueesceret, facilè cum alijs versaturus esset. At multo est satius vt inimicorum & exterorum dictis, conuitijs, furoribus, procacitatibus exercitatus, animum ad tolerantiam assuefacias, nec acceptas contumelias ægrè feras. Mansuetudinem igitur atque patientiam hoc modo in inimicitijs demonstrare poterimus; simplicitatem verò, & magnanimitatem, & probitatem, in amicitijs magis. Nec enim tam est præclarum amicum beneficijs prosequi; quàm turpe non prosequi egentem. Inimicum autem vindictâ non persequi, cum opportunè liceat, humanitatis est. At si quis labenti condoleseat inimico, roganti succurrat, illius liberis rebusque

busque domesticis periculo conflictantibus animo prompto & præsenti faueat, eius beneuolentiam qui non amplectatur, non prædicet benignitatem,

Habet coratrum, liuidum, autferreum, aut adamantinum,

M. Cicero Cæsari, cùm *Pompeij* statuas deiectas erigi iussisset, *Statuas*, inquit, *Pompeij statuisti, stabilisti tuas.* Itaque nec laudi parcendum, nec honori, ad ornandum inimicum meritò celebratum. Nam & laudem affert maiorem laudantibus, & fides habetur viciſſim vituperanti, tanquam improbanti factum, non hominem odio prosequenti; & quod omnium pulcherrimum est ac vtilissimum, abest ab eo quàm longissimè vt inuideat vel amicorum rebus secundis, vel virtutibus familiarium, qui solet inimicos laudibus ornare, nec eorum prosperitate vel angi vel indignari. Iam quæ tandem alia exercitatio vel fructum maiorem, vel affectum meliorem animis insculpit; quàm ea quæ peruersam æmulationem, & libidinem inuidendi nobis euellit? Vt enim in Repub. multa necessaria

ria cæteroqui mala, poſtquam conſuetudine víq; legis firmata fuerint non facilè depelluntur ab ijs quos lædunt; ſic inimicitia ſimul inducens cum odio inuidiam, obtrectationem, maleuolentiam, tenacem injuriarum memoriam in animo relinquit. Quin etiam aſtus, & fraudes, & inſidiæ, quæ contra inimicum non improbæ videntur, ſi modò innaſcantur, perdifficulter eximuntur. Quibus pòſt vtuntur aduerſus amicos, propter aſſuetudinem, nisi aduerſus inimicos vti caueant. Eáque propter ſi rectè *Pythagoras*, aſſuefaciens in animantibus rationis expertibus à crudelitate ac rapinis abſtinere, & aucupes deprecabatur, ne mactarent aues, & jactus emens, piſces dimitti juſſit, & cujuſcunq; ciuris beſtiæ cædem interdixit; eſt ſine dubio multò magnificentius generoſo, & juſto, & ſyncero inimico, in contentionibus ac diſſidijs contra homines ſuſceptis, ſceleratos & ſordidos, & maleficos affectus animi, vt in commercijs amicorum quieſcant penitus, & à nocendo temperent, compeſcere. Cùm *Scaurus* inimicus *Domitium* accuſaret,

ret, *Domitij* ſeruus quidê ante judicium ad eum venit, tanquam aliquod indicaturus ei quod neſciret. Quem ille loqui non eſt paſſus, ſed comprehenſum ad herum remiſit. *Catonem*, cum *Murænam* ambitus accuſaret, & accuſationis argumenta colligeret, ſectabantur ex conſuetudine, qui quid ageret obſeruabant. Frequenter igitur eum interrogabant, ecquid hodiè ad accuſationem conquiſiturus, aut tractaturus eſſet. Si negaret, credebant, diſcedebant. Maximum id quidem argumentum opinionis quam de *Catone* conceperant. Verùm & majus eſt, & omnium præclariſſimum, quòd juſtitiam aduerſus inimicos exercere ſoliti, fraude & injuſtitiâ cum amicis & familiaribus nunquam vtemur. Sed quoniam oportet omnes galeritas habere criſtam, teſte *Simonide*; & hominis cujuſuis ingenium parit contentionem, & obtrectationem, & inuidentiam; ab hominibus mente vacuis, vt loquitur *Pindarus*, nen mediocrem percipies fructum, ſi teipſum purges iſtis affectibus contra inimicos, &

quaſi

quasi cloacas ab amicis ac necessarijs longissimè auertas. Quod animaduertisse mihi videtur vir administrandæ Reipub. peritus *Onomademus*, qui cùm in *Chio* ab illis partibus, ortâ seditione, quæ vicerunt, steterisset, admoruit socios ne omnes aduersarum partium expellerent, sed quosdam relinquerent: *Ne cum amicis*, inquit, *incipiamus dissidere, si prorsus inimicis fuerimus liberati.* Quamobrem & istæ affectiones nostræ si consumantur aduersus inimicos, minorem amicis molestiam exhibebunt. Nam non oportet *figulum* inuidere *figulo*, non cantorem cantori (ex *Hesiodi* sententiâ;) nec æmulus esse debes aut vicini, aut fratris ad opes festinantis, & prosperis rerum successibus vtentis. Sed si non inuenias, quemadmodum aliter à lite, & inuidiâ, & contentione liberris, teipsum assuefacito, vt rebus secundis inimicorum angaris, & in eos iracundiæ quasi cuspidem exacuas, atq; imprimas. Quemadmodum enim periti Agricolæ Rosas ac Violas meliores putant effici, si Cepas & Allium in pro-

propinquo ſerant; (nam abiſtis attrahitur quicquid ineſt alimento vel amari ſaporis, vel odoris ingrati;) ſimiliter inimicus in ſe recipiens, ſi quid moroſitatis ineſt ac inuidiæ, amico proſperis fortunæ flatibus vtenti & magis benevolum, & minùs moleſtum te præbebit. Itaque cum illis ſic exercenda ſunt certamina, de gloriâ, de Imperio, de iuſtis rationibus quæſtus faciendi, vt non angamur ſolùm ſi nobis ipſi præſtant, ſed obſeruemus omnia, quâ viâ nobis præſtent; & conemur antecellere diligentiâ, induſtriâ, ſobrietate, curâ noſtri, vt *Themiſtocles* dicebat ſe ſomnum non poſſe capere propter *Miltiadis* in *Marathone* victoriam. Nam qui, quòd inimicum ſe putet feliciorem, aut magiſtratibus, aut patrocinijs, aut apud amicos gratiâ, principes autoritate, propterea dedignetur & frangatur animo, cùm aliquid moliri debeat ac æmulari, inerti prorſus & deſidioſâ inuidiâ contabeſcit. Qui verò non eſt cæcus in eo, quod odit, dijudicando, ſed æquus eſt ſpectator & vitæ, & morum,

morum, & sermonum, & operum, perspiciet ea quibus inuidet, partem maximam, diligentiâ, & curâ, & rectè factis, ijs qui habent, contigisse: ad quæ deinceps exercenda honoris & honestatis studio contendens, segnitiem, & socordiam exscindet. Quòd si quibusdam videbantur inimici turpem & honestatem adepti potentiam, aut in aulis principum, aut in rebus publicis, vel assentando, vel imponendo, vel judicando, vel mercide capiendâ, non molestiâ sed lætitiâ potiùs nos perfundent, dum nostram libertatem, & sanctimoniam, & innocentiam ex aduerso conferimus. Nam omne supra terram, & subter terram aurum non est ex vllâ parte cum virtute comparandum, vt ait *Plato*. Ac illud *Solonis* semper in promptu nobis est habendum,

At virtutis opus nos illis nos tribuemus
Propter opes.

Nec clamores Theatrorum postquam epulis excipiuntur; nec honores sectabimur, aut locum principem apud Eunuchos & concubinas Regum,

gum. Nihil enim expetendum, nihil præclarum quod naſcitur ex turpitudine. Sed amans cæcus eſt in eo quod amat, vt inquit *Plato*: & ſi quid indecorè faciant inimici, magis perſentiſcimus. Oportet verò neq; lætitiam ex eorum peccatis, neque mœſtitiam ex rectè factis eſſe otioſam; ſed prudenter de vtriſq; cogitandum, vt & illa fugiendo, meliores, & iſta imitando non peiores ipſis ſimus.

PLV-

PLVTARCHI CHÆRONENSIS,

VTRVM ANIMI an Corporis morbi sint *graviores*;

D. Iohanne Rainoldo *Interprete.*

HOMERVS quidem cum mortalium animantium genera considerâsset, eorumq; victus ac vitæ conditiones inter sese contulisset; exclamauit

—*Hominem miserandâ vincere sorte*
Omnia, quæ latis viuunt, animantia, cerris:

prærogatiuam parùm felicem ipsi tribuens, vt malorum exuperantiâ cunctis antecellat. Nos autem hominem

minem vt infelicitate excellentem & alijs miseriorem animantibus pronunciatum, ipsum cum seipso per comparationem tanquam in certamen de malis proprijs committimus: animum distinguentes non inaniter, sed perutilliter, vt sciamus, vtrùm propter animum an propter nos ipsos miseriùs viuamus. Nam morbus in corpore naturâ gignitur, vitiositas autem & improbitas in animo primum ipsius opus est, postmodùm ipsius morbus est. Conferret verò non vulgariter ad animi tranquillitatem si vel esset sanabile, quod esset deterius; vel effici posset leuius, quod tolli penitùs non potest. Æsopi quidem *Vulpes* de varietate cum *Pantherâ* certans, cùm illa corpus summâ cute speciosum distinctumque varijs maculis ostentaret, ipsi verò color rufus & squalidus, & ingratus aspectu penitùs appareret; atqui si quod intus, inquit, est mihi, contemplêris, O iudex me magis esse variam quàm *Pantheram* perspicies; significans astutam ingenij versutiam in vsus varios se commodè flectentem. Ita nos ipsos affari possumus. Permultos tibi

tibi quidem corpus, Homo, tuum & morbos & ægritudines, partim à seipso naturaliter emittit partim extrinsecùs incidentes suscipit. Quod si teipsum intùs aperueris, varium ac multis affectibus agitatum quasi penum malorum inuenies & thesaurum, vt inquit *Democritus*, non extrinsecùs influentium, sed habentium innatos in ipso solo quasi fontes & tanquam indigenas, quos emittit quidem prauitas, è qua largiter & affluenter vitia scaturiunt. Quòd si morbi corporis arteriarum pulsibus & rubore coloris deprehendi solent, eósque feruor arguit & facilis lassitudo; animi verò morbi sic plerosque fallant, vt non mala quidem esse arbitrentur: ob eam causam sunt deteriores, quòd etiam sui sensum adimant ægrotanti. Corporis enim morbos ratio sana percipit, morbos autem animi quibus laborat, ipsi simul ægrotans iudicare non potest. Siquidem idipsum laborat quo judicat. Itaque morborum animi primum & grauissimum, censere par est stultitiam; per quam efficitur vt insanabilis cum multis improbitas vnà versetur, &

vnà

vnâ viuat, & vnà moriatur. Nam initium ſanitatis eſt ſenſus ægritudinis, qui commouet ægrotum vt quærat remedium: qui verò ſanum ſe autumans neſcit quibus egeat, is etſi ſuppetat morbi remedium, tamen repudiat. Et è morbis quidem corporis ij ſunt grauiores qui ſunt ſine ſenſu; quales ſunt lethargi, dolores capitum, comitiales morbi, ſtupores furioſi, ac ipſæ quoq; febres, quarum vehemens inflammatio delirium parit mentis, & tanquam in Muſico quodam inſtrumento ſenſum perturbans, *Non commouendas commouet mentis fides.* Idcirco Medici, primùm optant homini, vt ne laboret morbo; proximum, ſi laboret, vt laborare ſe cognoſcat. Quod idem cunctis animi morbis vſu venit. Nam nec amentiâ delirantes, nec petulantiâ labentes, nec inferentes injuriam, peccare ſibi videntur: quidam etiam rectè facere ſeipſos arbitrantur. Quis enim vnquam febri nomen tribuit ſanitatis, aut tabi valitudinis, aut podagræ velocitatis, aut pallori roboris? Atqui multis ira fortitudinis, & amor amicitiæ, & inuidia æmulationis, & timiditas cautioni;

tionis nomine nuncupatur. Porrò quorum malè sunt affecta corpora medicos accersunt, nimirùm sentiunt quibus ad morbum sanandum egeant. Quorum autem animi morbo sunt oppressi, Philosophos fugiunt: nam ea rectè facere se putant in quibus peccant. Hâc igitur ratione mouemur vt dicamus lippitudinem insaniâ, pedum dolorem, mentis delirio leuiorem esse. Nam illi morbum sentiens, exclamat vocans medicum, cui cum accesserit oculos vngendos, venam secandam, caput curandum adhibet. At insanientem audis Agauem charissima præ furore non agnoscentem. *Tenerum ad ædes ecce capreolum, Ferimus celso vertice montium. Modò discerptum, felix spolium.* Etenim qui morbo corporis laborat, statim concedens, & in lectulum se coniiciens, dum curatur conquiescit. Quòd si paululum se commôrit, & exiluerit corpus inflammatum æstu, aliquis assidentium blandè compellans, *Miserande, lecto te quietum contine*, hominem cohibuerit & compresserit. Contrà, qui morbis animi premuntur, tum maximè satagunt, ac minimè quiescunt.

cunt. Nam animi commotiones sunt actionum principia, morbi verò sunt vehementes animi commotiones; Edque propter animum quietem capere non sinunt. Imò cùm homini, patientiâ & silensio, & submissione mentis inprimis opus est, tum imprimis illum sub dium ita protrahunt, vt iræ, contentiones, amores, molestiæ, quasi conspiciendum omnibus proponant, dum multa cogitur & facere quæ non congruunt æquitati, & dicere quæ temporibus non conueniant Quemadmodum ergo periculosior est tempestas quæ nauem vetat ad portum appellere, quàm quæ non finit è portu nauigare: ita grauiores sunt animi tempestates quæ non permittunt, vt homo se cohibeat, & perturbatam tanquillet rationem: ideóq; & rectore carens, & pondere, per tumultum ac errorem perniciosis & incertis cursibus abreptus in aliquod horrendum incidit naufragium, & vitam scopulis illidit. Itaq; vel eam etiam ob causam grauius est animis ægrorare quàm corporibus: quod malè tantùm afficiantur corpora, animi non solùm afficiantur sed eriam afficiant.

ficiant. Ac multos quidem morbos commemorare quid opus est? Ipsa temporis occasio ad nos mouendos satis est. Videtis hanc ingentem & promiscuam multitudinem hominum ex omni genere confluentium, collidentium sese mutuò, & conturbantium circa tribunal, circa forum? Isti conuenerunt non vt Dijs patrijs rem diuinam faciant, non vt gentilium sacrorum sint participes,, non vt Ascræo Ioui Lydorum fructum ferant primitias, non vt Baccho per sacras noctes communibus epulis Orgia celebrantes furiosum gerant thyrsum: sed tanquam anniuersarijs vicibus vis morbi exagitans Asiam, huc eos coëgit, vt suas contrauersias & forenses lites, quibus decidendis dies certus præscribitur, hîc in certamen ac judicium committant. Hùc actionum turba quasi fluminum frequentium in vnum forum incidit, & æstuat & erumpit in atroces contentiones perdentium & pereuntium. Quæ febres talia patrant facinora? qui corporis horrores? qui impulsus, aut illapsus, aut intemperies caloris? quæ humoris redundantia? Si

forenſem quamuis litem velut homines examines, vnde ſit exorta, quem fontem habuerit; aliam morosa iracundia, aliam inſana contentio, aliam iniqua cupiditas procreauit.

MAX-

MAXIMI TYRII
PHILOSOPHI
Platonici

Disputationes Tres.

1. *Vitam actiuam contemplatiuâ.*
2. *Contemplatiuam actiua meliorem esse.*
3. *Qui morbi grauiores, animi, an corporis.*

D. IOHANNE RAINOLDO
Interprete.

LONDINI,
Excudebat Guil. Stansbeius.
1628.

ORNATISSIMO Viro D. THOMÆ WILSONO Regiæ Mti. à libellis *ſupplicibus* IOH. RAINOLDVS *ſalutem in Domino ſempiternam.*

SI non officij magis ratio, Vir Ornatiſſime, ſtimulâſſet, quàm meum me judicium ad ſubeundum onus ſcribendi commouiſſet; non tantum bonitatis tuæ fiducia, quamquam eximiæ, languenti calcar addidiſſet, quanto voluntatis meæ ſocordia, ne noctuam Athenas, freno retardâſſet. Nam etſi *M. Cicero*, nullius lectoris judicium reformidans, *Scipionibus* ſuaſcribit, *Rutilijs*, *Perſijs*, non *Tarentinus* ſolùm & *Siculis*, vt *Lucilius*: tamen ego magis vt ingenio, ſic judicio, ſequor *Lucilij* mediocritatem, qui ſe nolebat legi à *Perſio* doctiſſimo, à *Lælio* Decimo vole-

bat legi à *Perſio* doctiſſimo, à *Lælio* Decimo volebat. Itaque Probaui mirificè ſemper oratorem *craſſum*, qui coram *Scæuolâ* vno ex omnibus ineptus eſſe nollet. Quem vtinam tam imitari, quàm approbare liceret! Ne coram *Scæuola* mihi non ineptus eſſe libuiſſet. Verùm ita premor, vt fatear quod ſentio, cùm officij pondere propter beneuolentiam, quâ complexus es ignotum, tum inopiâ teſtificandæ niſi verbis tantummodo, quâ te proſequor, obſeruantiæ: vt aut ineptus coram *Scæuola*, aut ingratus erga *Scæuolam* ſim oporteat neceſſariò; ſi ſcribam, ineptus; ingratus, ſi taceam. Quibus è duobus vides vtrum malim, quod ipſum non dubito quin malle debuerim: vt ſermone minùs apto quàm ſilentio minùs grato, parum prudens, quàm parùm memor beneficij viderer. Quamobrem vt idem *Craſſus*, etſi præſente *Scæuola*, de facultate dicendi facere verba noluit, tamen autoritate rogantis *Scæuolæ* commotus facere verba cœpit: perinde mihi contigit, vt qui tui iudicij tanquam cenſuræ meas nugas nolim ſubijci; idem humanitate tuâ pro-

uocatus ſubeam ſubinuitus. Nam ſi princeps eloquentiæ timebat miniatulas *Attici* ſui cerulas, quibus ille ſi quid minùs in illis quæ legeret placeret, annotare ſolebat, quid mihi faciundum qui tantò magis abſum à *M. Tullio* perfectione ſcribendi, quantò tu propiùs accedis ad *Atticum* ſeuerirate judicandi? Itaque dolenter equidem audiebam oratiunculam quandam eam raptim edolatam potiùs quàm expolitam inter priuatos habitam parietes pro ratione temporis & auditorum ſcriptam *Non bos formatum munus in vſus*, vt ille queritur apud Poëtam, in tuas manus peruenisſe. Quam etſi dicatam tibi me nec conſcio & inuito partim in optimam es interpretatus; tamen quòd dicata eſt, infelicitati meæ, quòd probata eſt humanitati tuæ acceptum refero. Eſt enim mihi ſignificatum, & pridem ab alijs, & nuper à noſtro Præſide, quam non probaretur à te quòd ſcripſeram tantùm, verùm etiã diligeretur à te qui ſcripſerat. Quod vt quàm gratum habeam agnoſcam, quoniam tibi placet pro iudicij candore quo præcellis, *Noſtras eſſe aliquid putare*

nugas; ista si voles, nugas tamen *Maximi* Philosophi pro *Græcis bonis*, *Latinas non bonis* meo labore factas æqui boni quæso consulas. Nam ipse libris, id est, liberis, vt *Platonis* vtar similitudine gignendis infœcundus, alterius fœtum ad quem erudiendum, vt latinè loqueretur operam meam contuli, mihi adoptaui. Qui si græcè politiùs quàm latinè loquitur, ignosces spero: cum præsertim, quod agnoscis in tuo *Demosthene*, nullum vnquam interpretem perfectum illi contigisse, id nescio quomodò cadat in omnes; vt aptissimè dici possit, *Dulciùs ex ipso fonte bibuntur aquæ*. Veruntamen opus suscepi leuiculum, obscuri Philosophi, non Oratoris præstantissimi: vt in cymbâ potiùs duorum Scalmorum, quàm in Argo-nautarum naui jacturam facerem. Id in eo satis habiturum me putaui, si *Florentinum* quendam, à quo satis negligenter priùs sunt conuersa, diligentiâ superarem. Materiam Philosophorum omnium ore celebratam hanc ipsam herclè, quæsitu non inutilem, tractatu non insuauem, non difficilem disceptatu, non injucundam tibi si

per

per otium vacaret legere, fore judicaui. Cùm autem contentio sit inter *actionem*, & *contemplationem*, vtri *pomum* detur, vt est in fabulis, *tanquam pulchriori*: tu in vtráq; optimè versatus, optimus eris vtriusq; judex, vt vtra præstet alteri suffragio declares. Quanquam subuereor ne quum ad Rempublicã ab Academiâ migrâris vt quod in otio singulariter excolueras, id in negotio laudabiliter exerceres, magis *Scipioni* faueas quàm *Panætio*, id est, in eam potiùs inclines partem quæ studet exercendam multis justitiam, quàm quæ vacat acquirendæ sibi sapientiæ. Quòd si Philosopho secùs videatur non est mirandum, præsertim *Platonico*; cùm ipse *Plato* quasi nimis fauens Philosophorum otio à *Cicerone* perstringatur. Sed ego *Tyrium* tibi committo, vt tuo vel cadat, vel stet arbitrio. Deus Optimus Maximus Te nobis incolumem diutissimè conseruet.

DISPVTATIO PRIOR, EORVM vitam esse meliorem qui se conferunt ad agendum, *quàm qui vacant cognitioni.*

Interprete
D. IOHANNE RAYNOLDO.

DIfficile est inuenire perfectam vitam, vt & virũ perfectum: sed admiscetur rebus omnibus quidam defect⁹, quo minus ad perfectã excellentiam perueniant. Est autem alius alio perfectior. Vt quemque deficiunt pauciora. Ac videas quidem agricolam beatos ciues prædicantem, quasi qui jucundam & splendidam traducant vitam: eos autem qui versantur in consicionibus & judicijs, ac in illis magnam auctoritatem obtinent deplorantes suam sortem; ligonem & agellum exi-

guum

guum optantes, vbi reliquum ætatis agant. Audias hominem qui colit militiam laudantem fortunas ejus qui pace fruatur: eum vicissim qui in pace viuat statim militaris hominis admirantem. Quòd si quis Deus suâ quemque vitâ & personâ exuens, vt actores in fabulis, singulos aliorum conditione vestiret; rursùs ijdem ipsi priora desiderarent, præsentia lamentarentur. Ita valdè morosum est hominis ingenium, & queribundum & fastidiosum, nec vnquam suâ sorte contentum. Ac vulgi quidem appetitiones & fastidia considerare quid attinet? Prorsùs non magis quàm pecudum. Philosophos autem & verè vehementer aut reprehendat quispiam, aut commisereatur, qui propter prudentiam & vitæ solertiam, & peritiam rationis animo sublati, nullum finem faciunt dissidendi & litigandi secum ipsis & cum alijs, dum controuersijs conflictantis ambigunt cui potissimùm instituto vitæ se committant. Videntur omninò simillimi gubernatoribus paratis ad nauigandum, nauigio magnitudine satis commodo,

do, & paratu firmo, & instrumentorum copiâ & firmitudine, & nauarum præstantiâ, & artis cautionibus & ponderis, sed cum vsus postulat vt nauigetur, fluctuantibus & hærentibus quò se vertant dum conspiciunt multos portus sed omnibus diffidunt. Verùm alios cum suis viuendi rationibus valere jubeamus, hunc voluptate colliquescentem, illum in terrâ laborantem, alium mari jactatum erroribus, alium in armis mercede militantem, alium vociferantem in concionibus, alium in judicijs circumcursantem. Quemadmodum autem in corporum certaminibus, qui sunt imbecilli fidentiùs quàm prudentiùs certantes spe vincendi, citò succumbunt; virtute verò pares labori sustinendo perseuerant & tolerant & decertant de victoriâ; sic in contentione de vitæ rationibus aliæ quasi voce præconij extutbatæ quasi fractæ facessant. Qui verò vitam agit in contemplando, & qui in actione rerum occupatur, quandoquidem & dubio nec impari certamine de victoriâ contendunt, prodeant in medium rationibus certaturi. Vter igitur priori loco

nobis

nobis judicibus ſuam cauſam aget? Is qui verſatur in actione rerum, meo quidem judicio. Eſt enim animo fidentior & ad loquendum audacior, & aſſuetus cum multis congredi. Sic autem verba facturus videatur, Si nos quiſpiam ad vitam accedentes quaſi princeps vrbis aut conditor ciuitatis non pateretur priùs intra portas ingredi, quàm cujuſque ſciſcitando ſciret artificium, quam vtilitatem in commune Reipublicæ conferre quiſque poſſet: exiſtimo dicturum eſſe architectum ſe lapides ordinatim arte compingentem habitantibus idonea contra frigus & æſtum munimenta fabricari: Textorem ſe filo ſtaminibus intexto veſtes conficere quæ ſcires & tegumenta & ornamenta corporum: Porrò Faber lignarius ſe conferre dicet aut aratrum aut lectum, aut aliquid ejuſmodi quod ars ſuppeditet: Faber autem ferrarius quæ vel ferro vel ære formantur opera, non belli ſolùm ſed pacis etiam inſtrumenta. Quid quod & ea quæ voluptatis gratiâ parantur, vt eſt veriſimile ſimul admittet? Pictores & ſtatuarios ad oculorum oblectationem; vnguentarios

rios & coquos præclaros ſaporum & odorum artifices: quicunque demùm tibijs aut cantu aut fidibus aut choris aures dulciter deliniunt. Et verò non nemo propter ſuum in ridiculis, alius in præſtigijs, alius in orationibus, vſum aduocabitur. *Homero* quidem vel *Nireo* pulchritudo locum reperit oportunum idque adeò in exercitu. Prorſùs nemo quiſquam, vt ſummatim dicam in vitam ſine ſymbolo, quod aiunt, progreditur, ſed alius vtilitatem aliquam ſubminiſtrat, alius artem, alius voluptatem; Age porrò, In quo tandem horum Philoſophi munus collocabimus? Nam eum non inutilem tanquam fucum ad nos accedere, quandoquidem eſt homo legum communibus & vinculis conſtrictus & deuinctus operibus, cunctis manifeſtum eſt. Sed quid eſt quod in publicam ſocietatem confert, aut quonam loco ſtatuamus hominem? Inter opifices, vt *Tychæum*? Inter coquos vt *Mythæium*? Inter oblectantes vt *Phrinonem*? Inter ſcurras vt *Philippum*? Inter plebicolas vt *Cleonem*? An ſine tribu & ſine ſede nobis vagabitur? imò eſt

aliquid

aliquid ipſius opus: quod autem ſit neſcimus. Quinetiam inquit ago; & mecum ea quæ ſunt conſidero, & veritate ſaturor. Næ tu beatus propter ſummum otium mihi videris, qui cum nauem conſcenderis nec gubernator eſſe velis, nec officio fungaris remigis, nec eos adjuues qui diſcurrunt & ſuccurrunt ſaluti nauis, ne vector quidem agi, vt aut rudenti manum admoueas aut in tranquillo remum attingas: ſed quaſi quiſpiam eorum qui temerè jacent & feruntur idipſum quod dicitur ſis nauis inutile pondus. An exiſtimas ciuitatem minùs deſiderare qui ſubſidium ipſi ferent ad ſalutem conſequendam quàm nauem in mari? multò quidem magis opus eſt ope vt arbitror in terrâ: ſiquidem quod operam impendit puſillum eſt, onus quod operam requirit magnum eſt. Eſt autem ciuitas coagmentata cunctis è ciuibus communis operis adjutoribus: ſimiliter ac corpus quod multiplici difficultate variarum rerum premitur, conſeruatur curâ partium conferentium communem operam ad totius obſequium. Pedes ſuſtentant, ma-

nus

nus laborant, oculi cernunt, aures audiunt, & alia ſuis funguntur muneribus, ne cunctis ſigillatim perſequendis immorer. Quod ſi libuiſſet illi fabularum ſcriptori *Phrygi* fabulam comminiſci, pedem offenſum reliquo corpori, labore tanti ponderis portandi fatigatum cupiuiſſe vacare otio; ſiue dentes molares quia molerent & conficerent cibum tantæ moli ſufficientem, opus publicum detrectantes voluiſſe curare ſua: ſi ſieri pariter iſta contingeret, quid aliud homo quàm in fabulâ periret? Eiuſdem modi profectò eſt quod in ſocietate ciuili vſu venit. Etenim ſi ſinguli ceſſantes capeſſerent Rempublicam, pigeret capere laborem, è ciuili ſocietate in ſuum otium ſe cederent: quid prohiberet quin ciuitas vniuerſa concideret & periret? An verò ædificia firmiſſima mutuò cohærentia ſibi lapidum complexu vinciuntur & conſiſtunt, & permanent; ſi quid autem eximas ex aptâ compage, totum labefactes: vitam vniuerſam è ſuarum partium ſibi cohærentium mutuo complexu ſalutem adipiſci non arbitraris? Quanquam ſi reliqui deſciſcant ab agendo

agendo non magni retulerit. Nec enim *Therſites* ſi deſeruiſſet ſuam ſtationem Græcos afflixiſſet, verum *Achilles* inflammatus irâ, quieſcens in tabernaculo, ſeque otio & cythará & cantu deliniens Græcorum exercitum multis malis impleuit. Nam cuius præſentia cuicunque commoditati eſt, eius abſentia ſit detrimento neceſſe eſt. Iam verò qui virtutem & contemplationem, & otium amplectitur, quinam ſit ille alius quàm homo prudens & intelligens? Quid igitur? An qui gubernandi eſt ſcientiſſimus de ſuâ ſede cedet imperitiſſimis? An Imperator diſcedens Imperio, relinquet Imperium ineptiſſimis ad imperandum? Cuius autem omninò dignitatis eſſe poteſt, cognoſcere veritatem, haberéque in animo reconditum theſaurum, infœcundum, & ignauum, & infrugiferum, ex quo nec ipſe capias, nec alijs afferas vtilitatem. Niſi forſitan auditus, bonum eſt vt habeamus ac non vt concentum & vocem percipiamus; aut aſpectus, bonum, vt habeamus ac non vt ſolis lumen oculis vſurpemus; aut diuitiæ, bonum, etiamſi quis eas in terram defodiat,

fodiat, thesaurum inutilem. Ac vt paucis complectar; quis est vsus scientiæ, si non conferas ad vsum, si scias tantummodò quis sit vsus scientiæ? Quis vsus artis Medico, si non ex arte sanet? Quis vsus artis *Phidiæ*, si eam in auro & ebore non exerceat? Sapiens erat profectò *Nestor*, at illius opera video sapientiæ, salutem exercitus, pacem ciuitatis, liberorum obsequium, virtutem populi; sapiens *Vlysses*, sed opera video partim terrâ partim mari,

Multorum mores hominum cognouit & vrbes,
Ferre volens vitamque suam reditûmque suorum.

Ac præter hos etiam sapiens erat *Hercules*, at non sibi sapiens, sed per omnes maris & terræ terminos sapientiam extendit. Ille est qui feras excidit, ille qui tyrannos compressit, qui seruis dedit libertatem, libertati leges sanxit, firmauit iustitiam, inuenit jura, veritatem vrbis coluit, facinora præclara gessit; quòd si voluisset *Hercules* secedens vitam agere quietam, in otio versari, securam à negotijs sequi sapientiam; extitisset nobis pro

Hercule

Hercule Sophiſta, nec dum quiſque ſuſtinuiſſet appellare *Iouis* filium. Nam ne *Ioui* quidem placet ipſi eſſe otioſo. Ita namque ceſſaret, & cœlum circumferri, & tellus nutrire, & flumina manare & pelagus recipere, & commutari tempora & fata diſtingui & cantibus vacare Muſæ: ceſſarent hominum virtutes, & ſalus animantium, & fructuum procreatio, & orbis vniuerſus conuulſus à ſeipſo confunderetur & concideret. Atqui *Iouis* ope a quæ nullo frangitur labore nec intermittitur, nec ſopitur vnquam, nec fatigatur, nec ab opere diſcedit, ſempiternam rebus ſuppeditat ſalutem. Itaque bonos Reges ac Dei ſimiles per ſomnia monet *Iupiter*;

Principibus totam noctem dormire nefandum,
Cura quibus populi, quibus ampla negotia curæ.

Ad iſta reſpiciens Philoſophus, nec *Iouem* imitetur, nec *Herculem*, nec Reges bonos, nec Principes: Sed viuat vitam hominis in deſerto nati, vitam ſolitariam, à ſocietate abhorrentem, vitam *Cyclopum* potiùs quàm hominum. Quanquam *Cyclopibus*

pibus ferebat quidem terra triticum ac hordeum,

Cum neque ſtirpe ſerant terram neque vomere ſcindant:

at jura tamen reddunt ſinguli conjugibus & liberis: vt nec eorum vita prorſus à rebus gerendis immunis ſit; in ſummâ vacare penitùs negotio cujus alûs præterquam mortui eſſe poſſet? Quid ſi agere negotium virtute eſſet alienum: virtutem perſequentes ab eo meritò abſtinere videremur. Sin autem virtus hominis non Oratio ſed opus eſt, & actio in ſocietate, & vſus ciuilis vitæ; perſequenda ſunt ea quibuſcum virtutem adipiſci valeamus.

Nam facilè ingentes vitij capiamus aceruos,

vt inquit ille *Boëtius* Poëta. Cæterùm

Virtutem volûere Dei ſudore parari.

Præclarus ſine dubio nobis decertator, qui ſine ſudore cupit coronari. At verò ſequi ſolent eum qui res capeſſit periculum & detrimentum, & inſidiæ, & inuidia & exilia, & interitus & infamiæ. Age igitur. Si gubernator iſta cogitaret, nauigationem

onem parum esse tutam, plenam periculis & laboribus & casibus incertis & procellis & ventis; Si cogitaret item Imperator ancipites euentus belli, parem vtrisque formidinem, periculum ante pedes, propinquam esse mortem, quid tandem impediret quin mari nauigatio prorsus exularet; multi libertate nec per somnium fruerentur, ducum inopiâ, vita demùm vniuersa nihil à vermibus differret, timida & ignaua, & formidolosa? *Sardanapali* mihi vitam prædicas, *Epicuri* mihi vitam prædicas; Opponamus illis, *Cyrum Sardanapalo*, *Persam Assyrio*, qui cum liceret illi amplexari otium & quietâ vitâ frui maluit in libertatem vindicare *Persas*, per industriam & militiam & sitim, & famem, & laborem assiduum nunquam vel noctu vel interdiù intermissum. Opponas autem *Epicuro* multos, Græco Græcos; ex Academiâ *Platonem*, è castris *Xenophontem*, è *Ponto Diogenem*. *Plato* igitur vnius amici causa & exulis & egentis magnæ ac validæ restitit tyrannidi, multum terræ peregrinans & maria traijciens, & incurrens tyranni odium, exilium, periculum,

ne

ne Philoſophiæ probitatem proderet. At licebat illi contemplari in Academiâ & veritati ſaturari *Xenophontem* verò accerſit *Proxenus*, deducit *Apollo*, emittit *Socrates* è multo otio & contemplatione ad militiam & præfecturam & conſeruationem decem millium Græcorum. Nam de *Diogene* quid attinet loqui? qui miſſum faciens ſuum otium circumibat intuens res aliorum: non iners aut negligens curator, ſed inſtar *Vlyſſis* illius,

Si quos conſpiceret Reges hominéſque potentes,
Continuit placidis illorum pectora dictis.
Si quem clamantem mediâ de plebe videret,
Compreſſit ſceptro.

Ac ne ſeipſo quidem abſtinuit ſed caſtigauit & moleſtiam ſibi exhibuit,

Indignis grauiter vexans ſua corpora plagis:
Indutus lacerâs veſtes.

Omitto dicere quod vir bonus occupatus in agendo ſi pedem non referat & improbis concedat, non ſibi ſolùm ipſi ſalutem eſſe, ſed alios etiam in melius mutare poſſit.

Contrà

Contrà si recedat & terga vertat, audaciâ & ineptiâ & confidentiâ replebit improbos ac suas partes prodet.

Quò fugis vt vecors Phrygiæ dans terga caterua?

maneto & consistito & sustineto pedem, ictus, nec quicquam expauescas. Hostium exercitus est ignauus, ictus inanes. Inuadentem te nemo feret; fugientem te cuncti ferient, vt *Aiacem Troiani*, vt *Socratem Athenienses* percusserunt: nec priùs desiterunt quàm ipsum dejecerunt. Quonam igitur modo viuat aliquis securus inter medios hostes? Nihil enim hostilius hominis virtuti quàm acris improbitas. Cum subduxerim meipsum inquit *Socrates* sub murum alios intueor tempestate & inopiâ consilij perturbatos. Ostende *Socrates* murum mihi firmum, vbi consistens despiciam ictus. Quod si talem mihi murum commemoras, sub quem te subduxisti, intueor ictus, *Anytos* multos, *Melitos* multos, murum expugnabilem,

DIS-

DISPVTATIO Posterior; Eorum vitam esse meliorem qui contemplando, quàm qui agendis rebus occupentur.

Intreprete

D. Iohanne Rainoldo.

VErùm enimuerò si quis in judicio nos reos faceret, iraſceremur judici nisi præberet vtrique poteſtatem ex æquo pro ſe dicendi, qui tyranno ſimilior quàm judici videretur. Quoniam verò calculus & euentus qui ſpectari ſolent in cauſis forenſibus abhorrent à moribus & inſtitutis Philoſophiæ; & accuſat tamen ratio rationem, amicus amicum ad veritatem venandam: quia judicio cuidam eſt ſimilis iſta inquiſitio,

Contrà si recedat & terga vertat, audaciâ & ineptiâ & confidentiâ replebit improbos ac suas partes prodet.

Quò fugis vt vecors Phrygiæ dans terga cateruæ?

maneto & consistito & sustineto pedem, ictus, nec quicquam expauescas. Hostium exercitus est ignauus, ictus inanes. Inuadentem te nemo feret; fugientem te cuncti ferient, vt *Aiacem Troiani*, vt *Socratem Athenienses* percusserunt: nec priùs desiterunt quàm ipsum dejecerunt. Quonam igitur modo viuat aliquis securus inter medios hostes? Nihil enim hostilius hominis virtuti quàm acris improbitas. Cum subduxerim meipsum inquit *Socrates* sub murum alios intueor tempestate & inopiâ consilij perturbatos. Ostende *Socrates* murum mihi firmum, vbi consistens despiciam ictus. Quod si talem mihi murum commemoras, sub quem te subduxisti, intueor ictus, *Anytos* multos, *Melitos* multos, murum expugnabilem,

DIS-

DISPVTATIO Posterior ; Eorum vitam esse meliorem qui contemplando, quàm qui agendis rebus occupantur.

Intreprete

D. Iohanne Rainoldo.

VErùm enimuerò si quis in judicio nos reos faceret, iraſceremur judici nisi præberet vtrique poteſtatem ex æquo pro ſe dicendi, qui tyranno ſimilior quàm judici videretur. Quoniam verò calculus & euentus qui ſpectari ſolent in cauſis forenſibus abhorrent à moribus & inſtitutis Philoſophiæ ; & accuſat tamen ratio rationem, amicus amicum ad veritatem venandam: quia judicio cuidam eſt ſimilis iſta inquiſitio,

sitio, faciamus hodiè respondendi copiam alteri sententiæ, ac ei viro qui contemplationis tenetur studio perinde quasi coram judicibus sisteretur & responderet accusationi. Sit autem accusatio vel hæc, vel huic simillima; Injuriosè facit *Anaxagoras* quòd in terrâ nãtus & vrbe *Clazomeniâ* particeps sacrorum & profanorum & legum & educationis & aliorum quibus cæteri *Clazomenij* fruuntur, secedat tamen à *Clazomenijs* tanquam à feris, quorum ad cœtus nec in concionibus, nec in *Dionysijs*, nec in judicijs, nec alibi conueniat; sed agrum desertum, domum solitariam esse patiatur, & ipse mirandam assiduè sapientiam sursùm deorsùm vertat & perserutetur. Sit accusatio quidem ejusmodi. *Anaxagoras* autem ita se defendat. Abesse me quamplurimùm ab eo *Clazomenij*, vt injuriam vobis faciam, præclarè sum mihi conscius. Nec enim vllum crimen in ijs quæ pertinent ad rem pecuniariam erga vos admitto; nec ciuitatem vestram, quantum in me situm, ignobiliorem apud Græcos efficio; & in commercijs priuatis cum vnoquoq; vestrûm nec molestum,

moleſtum, nec iniquum me cuiquam eſſe puto; nec aut legum quæ ſanciuntur, Reipublicæ quâ decoramur, minorem vllo curam ciuium ſuſcipio. Reſtat igitur ſi cum nullam vobis inferam injuriam, in quotidianis meæ vitæ rationibus atque inſtitutis opinione fallar, vt abſoluar eo crimine cuius arguor, quod ciuitati publicam faciam injuriam; & habeam ad priuata in quibus erro ſtudia, doctores qui erudiant, non actores qui accuſent. Exponam ergò vobis meam cauſam nihil ſupprimens ſilentio: quanquam non ignoro meum vobis ſtudium cum erit patefactum ridiculum viſum iri. Ego nobis magni eſſe faciendam potentiam in Republicâ, & vitæ ſocietatem, & claritatem operum & rerum tractationem cognitum prorſus habeo. At idem probè ſcio iſta, quæ magni ſunt nobis facienda, ſi cum morum probitate & virtute conjungantur valdè vehementer habenti conducere; ſin minùs è contrario debilitare & proſternere, & ne latendi quidem facultatem, ipſa poſſidentibus improbis concedere. Illuſtres enim efficit viros potentia, quorum,

quantò magis ab honesto deflexerint, tantò magis vitia & aperit & arguit. Quòd si quis igitur animo prudenter informato fuerit, is suâ dignitate in tuto constitutâ de potentiâ fructum capiat, Si quis autem parùm instructus à prudentiâ res quas ipsa debet gerere capessat, propter insignem & imperitiam facultatis, & inopiam instrumentorum prolabatur necesse est. Quæ cum animo cogitarem, putabam mihi potiùs curam adhibendam, ne per imprudentiam aggressus negotia publica supra vires, offenderem in illis & impingerem. Neq; verò si à vobis ei muneri destinaret vt in choro concinerem, injuriosè facerem si misceri choro nollem, priusquam mihi vocis modulatio contigisset. Eaque propter agrorum meorum vt rectè colerentur, non admodum curam habui. Meipsum autem ad eam vitam contuli, quâ cognitio accedens animo quasi lux oculis tutum mihi reliquum iter efficeret. Verùm lux ista non potest comparari ijs qui *Minerue* festo celebrantur ludis. Viæ quæ tendunt ad eam non sunt nugæ, non ineptiæ, non agrorum curæ,

non

non fori ſtudia, non vulgi commercia; ſed amor veritatis, & rerum contemplatio, & his in rebus ſtudium; iſtâ cum arbitrarer mihi contendendũ, parebam rationibus quæ ducebant, & viæ veſtigia ſpeculabar. Ac mea ſic eſt ratio: in quâ me cùm optimum & quàm æquiſſimum veſtris vtilitatibus inire conſiliũ, dum iſtam viam perſequor, nunc declarabo. Res enim publica conſeruari ſolet, non ſi veſtra mœnia ſint affabrè conſtructa, ſi naualia ſint integra, ſi claſſis ipſa nauiget, ſi porticos, & lucos, & gymnaſia, & fana, & theatra habeatis; (iſta ſiquidem ſi nec hoſtes, ſtes, nec ignis, nec alia calamitas, at temporis longinquitas abſumet.) Sed ſaluti eſt ciuitatibus optima temperatio & diſciplina Reipub. ſi quid ego judico. Ea verò bonis è legibus exiſtunt. Bonas leges ſeruat virtus vtentium. Virtutem docet ratio, rationem exercitatio, exercitationem veritas, veritatem otium quod in eâ collocatur. Non eſt enim non eſt aliud inſtrumentũ, quo virtus comparari poſſit, quàm vera ratio, quâ exacuitur. Ita quæ neſciuit diſcit, quæ didicit ſeruat, & ſeruans

vtitur,& vtens non aberrat. Hoc eſt noſtrum ſtudium,hæc otioſa requies, meditatio veritatis, & ars rationis, & vitæ robur, & apparatus animi,& exercitatio probitatis. Quòd ſi nihil iſta conferunt ad res præclaras, aut ſi conferunt quidem, at diſcendo vel exercendo non comparantur, ſed caſu ac temerè accedunt: imprudens negotium & accuſatione dignum commemoras. Sin autem nemo tam eſt demens vt hoc affirmet: profectò veritatem & ſanam rationem, & legis ac juſtitiæ cognitionem non poteſt quiſquam percipere,niſi ponat in illis operam: non magis quàm artem ſutoriam, niſi tempus in eâ collocet; aut artem fabrilem, niſi ad fornacem & ignem diem tranſigat; aut artem regendæ nauis, niſi nauiget, atque maritimas actiones exerceat. Nihil igitur iniuriæ vobis inferimus cum iſtis agendis operam nauamus, quibus ſi relictis animum deſertum atq; infœcundum jacere paterem:ur, in crimen,in judicium vocari meritò poſſemus. Ego *Clazomenij* quæ nec injuſta & vera eſt mihi videntur ad objecta coram vobis crimina reſpondi: de quibus

bus æquum arbitror ne suffragium feratis statim, sed in præsenti sustineatis à judicando, dum ipsi mecum pariter eodem spectaueritis & contemplati fueritis. Ita si quid commodi ex illis oriatur, me liberâsse crimine re ipsâ docti videbimini? si secùs, vos ea quæ videbuntur vobis statuetis, nos autem nihilominùs de illis rectè consulemus. Ista cum *Anaxagoras* in suæ causæ defensionem dixerit, ridebunt vt credibile est *Clazomenij*: minor enim *Anaxagoræ* quàm accusationi fides adjungetur. Atqui vera tamen dixerit; quamuis illi condemnauerint. Quòd si quis vspiam judex extiterit, non vulgi suffragio, sed ipsâ scientiâ (quo solo modo judex debet eligi) designatus: apud eum nec vt injustus nec vt reus causam dicet vel *Anaxagoras Clazomenis*, vel *Heraclitus* Ephesi, vel in *Samo Pythagoras*, vel *Abderis Democritus*, vel *Colophone Xenophanes*, vel *Parmenides Eleæ*, vel *Diogenes Apolloniæ*, vel alius quispiam illorum excellentium virorum: sed ex æquo tanquam jure persuadens & differens, sapientia cum sapientibus, fide digna cum fidelibus, diuina cum

diuinis verba faciet, in hunc modum. Deum quidem hominis animo tribuisse tres facultates & locos, & naturas, quasi congregaret ad conuictum & commercium vitæ ciuitatem. Cujus partem principem & consultricem in arce constitutam solo fungi munere cogitandi jussit. Partem autem vegetam & ad agendum acrem, & idoneam ad facienda quæ forent consulta, conjunxit & colligauit ad exequenda quæ mandarentur parti consultrici. Tertiam porrò partem inertem istam multitudinem, & incontinentem & illiberalem, plenam cupiditatibus, plenã amoribus, plenam contumeliâ, plenam varijs voluptatibus tertium locum habere voluit, quasi plebem quandam ignauam & garrulam, & turbulentam, & væsanam. Animo deinceps ita distributo ad obeunda munia quæ sunt homini descripta, solet interdum oriri seditio, idem ipsum quod accidit ciuitati malum. Rerum verò publicarum, ea quæ beata est imperio Regio gubernatur; Partibus lege diuinâ cedentibus ei, quæ præesse tùm vigore potest, tùm naturâ debet. Proxima inferior beatitudine

titudine quàm prima, quæ vocatur imperium potentium virorum loco principis dominantium, poteſtate optimatum deterior ſtatu regio, populari ſtatu melior: eſt quidem fortis & acris ad agendum, ſimilis Reipublicæ vel Spartanæ, vel Creticæ, vel Mantinicæ, vel Pellenitæ, vel Theſſalicæ; ſed ambitioſa vehementer, contentioſa, & moroſa, & temeraria, & confidens. Tertium autem Reipublicæ genus, quæ nomine ſpecioſo poteſtas dicitur popularis, re quidem verâ dominatus eſt plebeius vim Athenienſium & Syracuſanorum aut Mileſiorum aut alterius alicujus multitudinis refert, & diſſenſione, & procacitate & colluuione multorum efferueſcens. Triplex ergo genus Rerumpublicarum, triplex eſt vitæ genus in hominis animo quod imitetur. Primum quod vacat contemplationi conuertens ei parti quæ conſulit & regit, expers actionis prorſus ac operis. Alterum quod verſatur in actione rerum: cui ſecundus honor & dignitas tribuitur. Popularem demùm in homine poteſtatem videre non eſt arduum. Hoc enim Reipublicæ genus omnem ani-

mum mirificè depaſcit. Eaq; propter omittendum eſt, nec vt locum principem ſibi ſumat ferendum. Contemplatio verò cum actione ſi comparetur, vtraq; præclara, contemplatio propter ſcientiam, actio propter virtutem; vtra tamen præferenda eſt? Reſpondet ratio, ſiquidem vtilitas ipſa conſideretur, honorandam actionem: ſin expendatur cauſa rei benè geſtæ, contemplationem præferendam. Quamobrem inter vtrumq; fœdus ferientes diſtribuamus viris & animi facultates & conditionem vitæ cuique pro ratione vel naturæ vel ætatis vel fortunæ. Natura enim alius differt ab alio. Hic inualidus ad agendum, expeditus autem animo ad contemplandum, ille piger ad contemplandum; ad agendum induſtrius. Ætas quoque homines inter ſe diſtinguit. Nam actio iuuenturis eſt, vt inquit *Homerus*, & ego perſuadeor, *Omnia conueniunt iuueni*. Nam Philoſophus cum eſt iuuenis, agat, dicat, Rempublicam adminiſtret, militet, imperet; ſiquidem & *Platonis* curſus in *Siciliam*, & labores, & ſtudium *Dionis* gratiâ ſuſceptũ florentis iuuentutis

opera

opera fuerunt, cùm eum senescentem susceperit Academia, & altum otium, & artes optimæ, & præstans contemplatio, dum in copiosâ veritatis abundantiâ vitæ finem poneret; Ac verò *Xenophontis* iuuentutem in operibus consumptam amo, senectutem in literis occupatam laudo. Postremò distinguuntur homines ab hominibus etiam fortunâ: quæ potestatem alij committit & negotia, quietem alij placidam & otium largitur. E quibus illum laudo virum se præbentem, cum postulat necessitas, hunc etiam felicem prædico, non modò laudandum judico; felicem propter otium, laudandum propter studium. Quanquam eum quoq; qui nauiget in Asiam ex Europâ, vt videat terram Ægyptiorũ, & Nili fauces, aut altas pyramides, aut aues peregrinas, aut bouem, aut hircum, fœlicem dixerim quòd ea spectauerit: etiamsi quis ad Istrum veniat, si Gangem videat, si jacentem Babylonem oculis vsurpet, aut fluuios Sardiũ, aut sepulchra Troiæ, aut oram *Hellesponti*. Quin & homines ex *Asiâ* proficiscuntur in Græciam, vel ad artes, *Athenis*; vel

ad

ad animos, Thebis; vel ad locos, Argis, obſeruandos. *Homero* quidem *Vlyſſes* etiam ſapiens videtur propter varios errores,

Qui mores hominum multorum nouit & vrbes.

At *Vlyſſis* ſpectacula vel *Thraces* fuerunt, vel *Cicones* efferati, vel *Cimmerij carentes ſole*; vel mactatores hoſpitum *Cyclopes*, vel mulier venefica, vel quæ vidit in *Tartaro*, vel *Scylla*, vel *Charybdis*, vel hortus *Alcinoi*, vel ſtabulum Eumæi; cuncta mortalia, cuncta fugacia, cuncta incredibilia. Verùm Philoſophi ſpectacula, quæ contemplatur, cui rei comparabo? Somnio profectò, illuſtri & euidenti, & circumquaque volitanti. Vbi corpore ſe commouenti nuſquam animus circa terram vniuerſam fertur, à terrâ in cœlum; omne mare tranſmittens, omnem terram peruadens, peruolans omnem aërem; cum ſole ſimul currens, cum lunâ ſimul circumiens, cum cæterorum ſyderum choro ſe copulans, cum *Ioue* propemodùm rerum gubernacula tractans & moderans. O beatam profectionem, & ſpectacula præclara, & ſomnia veracia;

MAX-

MAXIMI TYRII PHILOSOPHI PLATONICI DISPVTATIO, Vtri sint grauiores, morbi corporis, an *animi*.

D. IOHANNE RAINOLDO *Interprete*.

CAnitur quoddam jam ab antiquissimis temporibus carmen precationis loco,

O cœlestum princeps, Sanitas,
Vtinam tecum degere possim,
Quod mi tempus supereſt vitæ.

Libet autem interrogare scriptorem huius carminis, cuiusmodi tandem sit ista Sanitas, quam in agendâ vitâ sibi contubernalem precibus exoptat. Nam ego sanè suspicor esse quandã rem diuinã & quæ sit meritò pre-

precibus expoſcenda. Nec enim temerè ac inconſideratè vel haberi digna carmine potuiſſet, vel decantata laudem priſtinam conſeruâſſet. Quòd ſi res eſt eiuſmodi qualem eſſe ſuſpicor, nobis pro Poëta reſpondeat ipſa ratio. Nam cum duo ſint ex quibus homo coaleſcat, animus & corpus; ſi animus naturâ morborum eſt expers, neceſſe eſt hoc carmen optatum eſſe corporis, quod naturâ ſolet & in morbos incidere, & curatum eſſe conualeſcere. Sin autem ambo ſint à naturâ pulcherrimè temperatione ſimili coagmẽtata, perturbentur verò petulanti quadam peruerſitate partium, cum earum aliqua ſibi plusquàm par eſt vendicans, vt in ciuitate Tyrannus aut populus, impediat partes reliquas, & aptam totius temperationem diſſipet, quam vocamus vtrobique cupiditatem impotentẽ, hanc animi, illam corporis; quorum vtrumque ſi ſpectes ipſum, ſanitatem ex æquo deſiderat, ſi cum altero comparas, jus æquabile non obſeruat: vtrum vtrius tandem eorum quaſi temperationem aptam, ſalutem & ſanitatem, cœleſtem principem appellemus. Cæterum vt

partis

partis vtriusque morbum ex comparatione morbi contrarij videamus, vter homini sit malum grauius: itarem totam tanquam arbitri examinemus. Homo ex animo & corpore coagmentatur: ita vt præsit animus, corpus optemperet: quemadmodum in ciuitate princeps ac subditus; cum & princeps præsertim sit pars ciuitatis & similiter subditi. Vtra igitur istarū partiū si morbo langueat, ciuitatem perdit? Laboret morbo populus in populari statu. At *Pericles* sanus, Magistratus bonus, populi morbum releuat. Laboret morbo Regio *Dyonysius Syracusanus*. At populus sanus deficitur porsùs viribus ad salutem restituendam. Vis igitur corpus esse quasi populum, animum quasi principem? Considera igitur & hanc imaginem cum ipsâ re compara. Populus plus est quàm princeps: & corpus plus est quàm animus. Populus est vecors: item & corpus. Populus è multis partibus & multis vocibus, & multis affectibus consistit: corpus è varijs rebus dissimilibus & multiplicibus temperatur. Populus in ardoribus irarum est asper, in cupiditatibus

tibus, vehemens, dissolutus in voluptatibus, abiectus in molestijs, truculentus in furoribus; Eadem quoq; corporis sunt vitia. Nam & cupiditatibus, & appetitionibus & libidinibus & ardentibus quasi furijs cum impetu rapi solet. Age porrò principem cum principe conferamus. Princeps in ciuitate ad impeperandam est aptissimus & honoratissimus, & validissimus. Princeps naturâ est ad res curandas sagacissimus, ad consulendum prudentissimus. Idipsum vsu venit animo. Princeps est sui iuris, & animus. Cum igitur ista ita se habeant, vtrum morbum grauiorem esse dicemus, cum in homine tum in ciuitate? Non pars præstantior correpta morbo totum grauiùs affligit? Nam populus ægrotus valente principe licertatem retinet: principis autem morbus valenti populo seruitutem importat. Ac vt summatim dicam, animus est corpore prestior. Bonum verò quod pretiosius est majus est, Porrò quod majori bono repugnat, majus est malum. Maius autem bonum est animi quam sanitas corporis: Maius ergò malum est morbus animi quàm cor-

corporis. Sanitas corporis arte restituitur: sanitas animi virtute comparatur. Morbus animi est improbitas morbus corporis est calamitas. Improbitas voluntarió committitur, calamitas ab inuitis suscipitur. Quæ fiunt ab inuitis, misericordiam alliciunt; quæ fiunt à volentibus, habentur odio. Quæ sunt miserabilia, subleuantur subsidio; quæ sunt exosa, castigantur supplicio. Quæ subleuantur, sunt leuiuscula, quæ castigantur deteriora. Vtrùm sanitas viciſſim in vtroq; consideretur. Altera cunctis rebus affluit, altera cunctis deficit Altera recta ducit ad beatitudinem, altera patefacit aditum ad miseriam. Altera immunis est à malo: altera procliuis est ad vitium. Huic sanitas perennis, illi perbreuis; huic firma, illi fluxa; huic æterna, illi caduca. Considerentur & morbi. Corporis morbus arte facilè sanatur, animi morbus ægrè lege corrigitur. Ille crucians ægrotantem facit, vt sanetur, magis sanabilem; hic consumens ægrotantem, facit, ne sanetur, legum contemptorem. Illi Dij succurrunt: hunc oderunt. Non exardescit bellum propter morbum cor-

corporis; propter morbū animi bella multa concitantur. Nemo corporis laborans morbo vel calumnias comminiſcitur, vel ſepulchra deprædatur, vel committit latrocinia, vel aliud quoduis flagitium patrat. Morbus corporis moleſtus eſt ægroto: morbus animi moleſtus & proximo. Ac verò contemplemur quod dicimus euidentiùs, ſimilitudine quadā à rebus ciuilibus adumbratum. *Athenas* vrbem, quæ populi dominatu regebatur ac florebat virorum numero, & imperij magnitudine & opum potentiâ, & imperatorū copiâ, cum *Pericles* ſummam autoritatem obtineret, inuaſit peſtis: quæ primum cœpit ab *Æthiopiâ*, pòſt in *Perſiam* peruaſit, *Athenas* demùm atigit; vbi tanquam ſtationem adepta conſtitit & ciuitatem afflixit. Quin auxit etiam vires graſſantis morbi bellum ingruens ex *Peloponneſo*. Cum autem ager vaſtaretur, affligerentur homines, abſumerentur corpora, conficerentur copiæ, ciuitatis quaſi corpus miſerijs ſuccumberet: vir vnus tanquam animus ciuitatis ille *Pericles* intactus à morbo, valetudine fruens integrâ, erexit ciuitatem & excita-

citauit, & accendit, & reſtitit cùm peſti tum bello. Iam verò videamus & alteram ſimilitudinem. Poſtquam peſtis ceſſauit & populus conualuit, & vires ſunt reſtitutæ: tum ea pars ciuitatis quæ præſidebat Reipublicæ, morbo graui correpta eſt proximóq; inſaniæ, qui corripuit quoque populum, & communis quaſi morbi contagione polluit. Quid enim? Non hic populus vnà cum *Cleone* furebat, cum Hyperbolo ægrotabat, cum *Alcibiade* ardebat, denique cum principibus Reipub. tabeſcebat, peccabat, & peribat, dum aliusaliò vocaret,

Huc age nympha veni, diuinaque facta videto.

Ac oſtendit quidem *Alcibiades Siciliam Cleon Sphacteriam*, alius aliam terram, aut mare, tanquam febricitanti fontes aut puteos Iſta ſunt veſtra, ſcelerari, diuina facta, interitus & euerſio, & vis malorum, & morbi inflammatio. Hoc ipſum autem valet animi morbus, ſiquidem cum morbo corporis comparetur. Ægrotat corpus & perturbatur, & affligitur. At ei ſi præfeceris animum valentem, contemnit morbum &

deſ

despicit malum. Vt despexit *Pherecydes* in sepulchro positus, cum ipsius carnem tabes exederet, erectus autem animus ab hoc inutili quo amicitur corpore liberari cuperet. Ego verò dicere non dubitârim ne inuito quidem animo interire, de quo secùs cogito ac de captiuo, qui videns murum carceris putrescentem ac dilabentem, expectat egressum & liberationem è custodiâ: vt è tenebrosâ grauique caligine quâ priùs erat obrutus, suspiciat tandem aërem & luce splendidâ saturetur. An existimas virum cujus corpus sit insigniter exercitatum & assuetum laboribus perturbatum iri, si quando ipsius palliola disrumpantur, ac non ea potius libenter abiecturum & traditurum corpus aëri, nudum nudo; charum, charo; liberum, libero? Quid autem aliud animo putas esse pellem istam, & ossa, & carnes quàm palliola in diem durantia, quàm panniculos detritos & sordidos, cum ea præsertim & ferrum discindat & ignis consumat, & vlcera depascant? Fortis igitur animus & industrius & exercitatus ista non magni facit & quamprimum nudari cupit: vt si quis mag-

magnanimum virum laborantem corpore conſpiciat, id vſurpare poſſit quod de *Vlyſſe* dictum eſt,

Quale ſenex lacerâ femur ecce è veſte retexit.

Timidus autem animus in corpore defoſſus, vt pigrum animal in latibulo, amat latibulum, nec vnquam ab eo vult liberari, ne prorepere quidem; ſed eo exuſto pariter exuritur; diſcerpto, diſcerpitur; dolente, dolet; clamante, clamat. O mi pes, amittam te, inquit *Philoctetes*. Amitte mi homo & ne clama, nec amiciſſimis conuitium dicito, nec terræ *Lemniæ* moleſtus eſto. O mors *Pæan*! Si dicis iſta *Philoctetes*, vt malum commutans malo, non probo uum votum. Sin autem arbitraris re ipſâ mortem eſſe *Pæanem* ac vindicem malæ & inſatiabilis & morboſæ pecudis, rectè arbitraris. Ora & inuoca *Pæanem*. Atque adeò ipſius orationis filum ad manifeſtius exemplum deduxit, quod iampridem vobis demoſtrare aueo. Erant olim apud Græcos infinita Corpora, quot frondes quot flores verè creantur; cuncta ſanè & valentia, & robuſta, & integra, quæ muris hoſtium circumfuſa

per

per integrum decennium nihil profecerunt: non *Achilles* persequens, non *Aiax* manens, non *Diomedes* trucidans, non *Teucer* jaculans, non *Agamemnon* consulens, non *Nestor* dicens, non *Chalcas* vaticinans, non *Vlysses* decipiens. Atqui Deus respondet, O præstantes & nobiles alumni Græciæ! frustrà laboratis, frustrà persequimini, ne quicquam jaculamini, ne quicquam consulitis. Nec enim istos muros capere poteritis, priusquam vobis auxilio veniat, animus quidem validus, corpus autem languidum, fœtidum, claudicans, consumptum morbo. Illi verò parverunt Deo & abduxerunt è *Lemno* socium, animo valentem, corpore ægrotantem. Cæterùm si placet vicissim consideretur animi morbus in corpore sano. Laborat animus morbo voluptatis, colliquescit & contabescit. Quid facies ægrotanti? Quæ vtilitas ad talem animum è corpore redundabit? Sardanapalus ægrotat. Nonnè vides quemadmodum mali contagio etiam ad corpus ipsius peruaserit? Maceratur miser & languescit, & oculos tabefacit, & morbi impatiens in ignem se præcipitat.

cipitat. Ægrotat *Alcibiades*, ignis ipsum ardens & atrox depascit qui perturbans rationem, vt parùm absit à furore, rapit eum circumquaque, à Lyceo ad concionem, à concione ad mare, à mari in Siciliam, illinc *Lacèdæmonem*, deinceps ad Persas, à Persis Samum, à Samo *Athenas*, post ad *Hellespontum*. & quò non? Ægrotat *Critias* corrept⁹ morbo graui & multiplici & insanabili, nec tolerabili cunctæ ciuitati. Quãquám istis erant corpora sana & integra: elegans *Sardanapalus*, pulcher Alcibiades, robustus *Critias*: verùm valetudinem in istis odi. Ægrotet, ne tyrannidem exerceat *Critias*. *Alcibiades*, ne *Athenienses* in *Siciliam* ducat. Ægrotet *Sardanapalus*: est enim melius illi propter morbum concidere quàm propter voluptatẽ. Imò verò pereat in quemcunq; fluit perennis improbitas. Vt enim ea quæ serpunt vlcera, vbi corpus inuaserunt, grassantur longiùs, & ex eo quod sanum est semper aliquid absumunt, contraq; medicinam omnem exulcerantur, quoad ars sedem & quasi fundamentũ morbi exciderit: ita cujus animus sanie & tabe & putre-

putredine corroditur, quæ ſunt ei proxima depaſcendo ſemper inficit. Eaq; propter amputandæ ſunt illi & auferendæ vires corporum, vt manus latroni vt oculi libidinoſo, vt venter helluoni. Nam etſi conſtitueris aduerſus morbum judices, & carceres, & carnifices: tamen malum præuertit, & manat & inualeſcit. Incredibilis eſt enim improbitatis rapiditas, poſtquam ſemel animi, moribus illapſa, conſequuta fuerit materiam improbam & proruptam licentiam & effrenatam audaciam.

FINIS.